

CLAUDIUS ROSSELETTUS

EPIGRAMMATA (2307 vers)

(Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée à Lyon, chez Sébastien Gryphe, en 1537.)

CLAUDII ROSSELETTI JURECONSULTI, PATRITIIQUE LUGDUNENSIS EPIGRAMMATA.

DE AURELIA VIRGINE CATULUM SUUM LAVANTE.

E_1 v.1 Hesperio jam Phoebus equos adequaverat alveo
 2 atque erat Arctoo Parrhasis Ursa polo.
 3 Pectine pectebat niveo niveumque lavabat
 4 in niveo nivea Aurelia fonte canem.
 5 Ut Procyon vidit, supera latravit ab arce
 6 invidus, usque sinus lacteoli cupidus.
 7 Insanosque ira duplicasset Apollinis aestus,
 8 virgo sed est blandis hunc remorata minis.

VULCANUS AB JOVE COELO PULSUS.

E_2 v.1 Ergo Ammone satum atque Hera parente
 2 me, de siderea domo fugavit
 3 squallens forma mea ? Ergo claudicantem ut
 4 conspexit sobolem artuumque nostrum
 5 gibbosam speciem, suam iste summus
 6 deorum inficiatur esse prolem ?

7 Tum oestro concitus et gravi furore,
 8 me caris jubet exsulare tectis,
 9 indignum veluti deum corona ?
 10 Indignum facinus Jove atque patre,
 11 qui postquam puerum recalcitrantem
 12 vix carae e gremio trahi parentis
 13 novit, terrifica manu libratum
 14 saxosos jaculatur in recessus.
 15 Sic forma est pretio nimis ; perenni
 16 nam qui sum genitus parente, Olympo
 17 pellor, at Phrygius puer caduco
 18 prognatus genitore, gratiosus
 19 stat nunc ad cyathos Jovi, et cubile.

IN LUCIAM FORMOSAM, SED IRACUNDAM ET SUPERBAM PUELLAM.

E_3 v.1 Aurea frons roseaeque genae et tua lactea cervix,
 2 quique micat pulcher pulchro in amore color,
 3 efficit, ut credam te Palladis esse sororem
 4 aut Veneris, Paphio cui calet ara rogo.
 5 At rigor, et pectus praeduro adamante revinctum,
 6 cordaque ventosus qui tua fastus agit,
 7 efficit ut credam te Gorgonis esse sororem,
 8 te natura ferox noluit esse deam.
 9 Si faciem eximiam facilis mens aequiparasset,
 10 nulla foret supera pulchrior arce Venus.

HOMINIS VITA, ET MORS.

E_4 v.1 Omnia quam celeri pereunt mortalia lapsu ?
 2 Nostraque quam subito frigore vita cadit ?
 3 Tam cito non perdit varium rosa pulchra colorem,
 4 tam cito nec liquidis bulla recedit aquis.
 5 Heu breve nigrantem fugimus post tempus ad Orcum
 6 cunctaque mors saeva pallida falce metit !
 7 Nec quo abeam scitur : scimus quam solvimus oram
 8 et gravior nullo fit redeunte dolor.
 9 In vario cursu morimur puerique senesque,
 10 omnibus hoc certum est, certa nec hora venit.

CANDIDO LECTORI.

E_5 v.1 Si juvat hac nostra spatari lector arena
 2 atque oculis versus volvere forte meos,
 3 expendas trutina leni, quaecumque licenter
 4 scripta mihi rivo liberiore fluunt.
 5 Sic volui potius quam inter luxum otium abuti
 6 et juvenile aevum deperiisse mihi.

7 Si bene quid, certe veniam hac in parte probandus,
 8 si male quid, torvum pone supercilium.
 9 Inter odoratos sunt noxia gramina flores
 10 est inter segetes carduus et lolium.
 11 Sic precor, ut falcem sumas, qua tu mala falces ;
 12 quae bona, des latices quo citius vireant.

QUOS VELIT EMPTORES SUI LIBELLI.

E_6 v.1 Non rabulae, ronchi, nostrum non lividus, aut cui
 2 est aquilae nasus, comparet aere librum.

DE DAPHNE PICTA.

E_7 v.1 Daphnen Parrhasius theatro in amplo
 2 olim pinxerat arte non retribita.
 3 Quam Phoebus procul intuens Apollo
 4 se dat praecipitem sereno ab axe
 5 et gestit dare rosido labello
 6 suave suaviolum ; ast ab ore ut hausit
 7 osculum algidulum, Insuave, inane, et
 8 buccam dulcis anhelitus carentem
 9 sensit, tum improbulum Jovem improbavit
 10 crudelem Veneris vocatque natum :
 11 "Quod nunc duro adamante crystallove,
 12 olim ut cortice conditae puellae,
 13 fabris jungere labra sit negatum."

IN FULVIAM VETULAM FUCATAM.

E_8 v.1 Si tua forma suum egit ver, quid, Fulvia, rugas
 2 contegis ? Ex Hecuba visne videri Helene ?
 3 Falleris : haud ullo perfundi cana senectus
 4 vult stibio : nemo te modo nescit anum.

FELIX, ET INFELIX.

E_9 v.1 Felix cui viridis primaevo in flore juventae
 2 aurum et opes pulchro in corpore conveniunt.
 3 Infelix aegra cui jam serpente senecta,
 4 indiga paupertas membra caduca subit.

DIVITIAS ESSE IN SOLA ANIMI SUFFICIENTIA. AD CAROLUM HUBALDUM.

E_10 v.1 Pauper eget victu, nummorum dives acervo :
 2 ambo semper egent, at minus unus, ais.

3 Antiocho Cynicus sic est opulentior : auro hic
 4 quippe bibit, Samio nec velit ille scypho.
 5 Quo quis plura cupit, tanto est mendicior. Ergo
 6 nil cupiens umquam, Carole, dives eris.

AMORIS INEVITABILES INSIDIAE. DE PERLA PUELLA SIBI RECONCILIATA.

E_11 v.1 Perla mihi prius hostis erat, nunc Perla, sed igne
 2 nescio quo incendit pectora et ossa cremat.
 3 Nempe manu flores nivea dum delegit et dat,
 4 flore verecundo me mihi surripuit.
 5 Daedalei laquei, sinuosaque retia, quae sic
 6 occulto nostrum pectus odore legant.

IN FRANCISCI SANGELII IMAGINEM.

E_12 v.1 Sangelium atque lyram Nuceus sic pinxit ut artem
 2 ars commendet, opus laudet ut artificem.
 3 Victa foret natura parens, potuisset utrique
 4 si mortale sonum ferre magisterium.

DE CORVO CAESARUM SALUTATORE.

E_13 v.1 Tantum olim placui nigellus oscen
 2 Phoebo, Pieriae duci cohortis,
 3 gratus indueret meam ut figuram.
 4 At me dicere nunc docet magister,
 5 "Chaire", maxime Caesar Imperator,
 6 impensa neque perdita, aut opella est.

IMITATIO HORATIANA.

E_14 v.1 Sunt quos pulvereo certare oblectet Olympo
 2 et rapidis palmam promeruisse rotis.
 3 Sunt quos plaustra vehant propero exsultantia plausu
 4 ad Tarpeiani fana vetusta Jovis.
 5 Hunc si tergemino tentat Romanus honore
 6 suprema ex imo tollere in astra gradu,
 7 illum si Libycae possedit gloria terrae,
 8 atque altos Cereris struxerit inde globos,
 9 incassum Attalicis certes convertere gazis,
 10 ut tentet Siculi dira pericla maris.
 11 Mercator doctus violenti murmura Cauri,
 12 tecta probat thalami liberiora sui.
 13 Ac sua cerato reficit velaria lino
 14 mox, nequit expertis cum caruisse Notis.
 15 Jurgia causicus tractat cerebrosa clientis,

16 atque sub aestivo sole colonus arat.
 17 Ambigui miles sectatur classica belli,
 18 ducit et imbellem pastor ad arva gregem.
 19 At me hederæ laurique comæ fontisque liquores
 20 Aonii oblectant, Pallas, Apollo, Venus.

IN EXIGUUM MAGNI POMPEII SEPULCHRUM APUD AEGYPTUM.

E_15 v.1 Magni deorum patriæque cultoris,
 2 qui tot suæ urbi externa regna subjecit,
 3 hei nunc sepulchro cerne terra quantilla est.

AMEDEI BULLIODI CIVIS LUGDUNENSIS EPITAPHION.

E_16 v.1 Hoc tumulo cumulus virtutum delitet ; hospes
 2 dic umbræ pacem, dic requiem cineri.

JO. PERATIO SUPPRAEFECTO LUGDUNENSI.

E_17 v.1 Aptis Chrysippus modulis aptoque colore
 2 verborum expressit justitiæ effigiem.
 3 Aptius at natura opifex, quæ docta ministrum
 4 Astrææ, ad vivum pressit et expoliit.
 5 Nempe quibus gravitate oculis, Chrysippus, et ore,
 6 descripsit sacrae schema typumque deæ,
 7 Te filo natura pari confinxit, et in te
 8 formando absolvit jura magisterii.

AD JUVENCULAM MONITORIUM CARMEN.

E_18 v.1 Non semper viridi splendent sua gramina campo,
 2 nec semper pulchris emicat herba comis.
 3 Non semper niveo sunt alba ligustra colore,
 4 nec rosa purpureo vivida flore rubet.
 5 Sic tua procumbet senio insultante venustas :
 6 excurrit celeri labilis hora pede.
 7 Heus, heus, excurrit numquam reditura, nec illa
 8 cras, quæ nunc celsa sede triumphat, erit.
 9 Lude ergo, dum fata sinunt primusque juventæ
 10 flos non dispereat turpiter ille tuæ.
 11 Frigida pro molli succedit rore pruina :
 12 omnia sic proprio sors movet arbitrio.
 13 Post solem pluviae, pluviam Phoebeia lampas
 14 insequitur : cessent frigora, fervor adest.
 15 Dum tibi fata sinunt et amor se accommodat annis,
 16 collige virgo rosam, dum tibi fata sinunt.
 17 Jam veniet rugis faciem sulcata senectus :

18 dum tibi fata sinunt, collige virgo rosam.

AD MAUR. BULLIODUM CONSULEM.

E_19 v.1 Quid prosunt homini decus ? Quid aetas ?
 2 Quid vires ? Quid opes ? Quid astus omnis ?
 3 Ecquid gratia ? Quidve pulchritudo ?
 4 Haec si singula mors, quies acerba,
 5 somnus ferreus et metit severa
 6 falce et vulnifica necat sagitta ?

CLAUDIO A RUPEFORTI CONSANGUINEO.

E_20 v.1 Te satis esse fuit fortem sine rupe ; quid ergo
 2 saxea tam e binis fortibus arx coiit ?

DE JO. PERRELLO SUO.

E_21 v.1 Forte suos Livor Phoebo recitante poetas
 2 Perrelli audivit nomen, et indoluit.
 3 Indoluitque grave, et tandem ceu Marsia victus,
 4 Perrelli cecinit nomen, et interiit.

P. REMONTIO AMICO, ET HOSPITI SUO APUD LUTETIAM.

E_22 v.1 Haec mihi sola placent quae sunt rarissima, amicum
 2 cum mea te rarum saecula tulere, places.
 3 Vix similis toto veniat Remontius orbe,
 4 tam rarum pectus, mi in pretio ergo magis.

EPITAPHION MARIAE GUIDONIS BRESLEI FILIAE.

E_23 v.1 Abstulit infantem bimam mors effera, curae
 2 expertem, patrio nomine Bresleiam.
 3 Quam deflere nefas, duo cum vix egerit annos,
 4 nosse mala haec vitae plurima sic nequiit.

EX AESCHYLO DIVES INSIPIENS.

E_24 v.1 O quam fasciculus gravis,
 2 felix insipiens homo.

AD AMICUM EX INFIMO LOCO NATUM.

E_25 v.1 Obscuris pudeat ne te natalibus ortum
 2 ducere : fortunam mens studiosa praeit.
 3 Euripidis mater vendebat holuscula, alumnus
 4 Partheniae quondam finxerat urceolos.
 5 Romphaeas genitor Demosthenis arte polibat
 6 et pictore satus de patre Caesar erat.
 7 Quem quoque dixerunt sapientem oracula Phoebi,
 8 rerum erat huic certe pauper uterque parens.
 9 Si satis es virtute tua jam clarus, avorum
 10 conspicuas quid inops sors tua curat opes ?

EMPEDOCLIS DICTUM.

E_26 v.1 Quaerenti Empedocles cur viveret, inquit : "Ut astra
 2 inspiciam : caelum dirue, pulvis ego."

IN PAGANINUM PICTOREM EXCELLENTEM.

E_27 v.1 Sidera pinxisti, terras, camposque liquentes,
 2 et pluvias, ventos, fulgura laeva Jovis,
 3 et nubes, canamque nivem gelidamque pruina,
 4 ver, hiemem, et quicquid maximus orbis habet ;
 5 si tamen ingenium pingas animumque chaosque,
 6 non erit aequalis jam, Paganine, tibi.

IN CORACEM SOPHISTAM.

E_28 v.1 Cur te non veneror, Corax ? Loquax es.
 2 Cur te non veneror, Corax ? Duplex es.
 3 Cur te non veneror, Corax ? Salax es.
 4 At non garrulitas, Corax tibi tam,
 5 nec tam faex simulationis obstat,
 6 nec tam lubricitas tibi ista quam quod
 7 (vis paucis referam ?) Corax sophista es.

ABIES IN CHELYM.

E_29 v.1 Vivebam nemori quondam sine murmure vocis ;
 2 at mihi nunc vox est, sic ego vivo chelys.

IN AMORE GAUDIA, ET DOLORES.

E_30 v.1 Scommas, joci, rixae, pax, et dolor, otia, risus,
 2 cur vario cerni saepe in amore solent ?

3 Hyblaeo fecundus amor quod melle, et amaro
4 felle : acidis semper dulcia miscet amor.

IN LECTUM PELLICIS, EX DAPHNE PRIMO EPIGRAMMATUM GRAECUM.

E_31 v.1 Unius fugiens cubile, plures
2 evitare toros salax nequivi.

CUIDAM.

E_32 v.1 Abs te habuit nummos Pholoe, perducatur ut ad te
2 Laida. Contractum nunc minus illa tenet.
3 Cum dederis, daret ut, praescriptis actio verbis
4 est tibi, qua repetas Laida, sive obolum.

IN SCAEVOLAM ZELOTYPUM ALTERO OCULO ORBUM.

E_33 v.1 Uno opus est oculo, et juvenis tibi ducitur uxor :
2 mille tamen quaesit candida luminibus.
3 Tecum habita immotoque feras haec omnia vultu,
4 vive tuis vere, Scaevola, Scaevola eris.
5 Centum oculos, moneo, vigiles si sumpseris Argi,
6 et demum totus sic oculatus eas,
7 Lynceus ut visu videaris, saepe juvabit.
8 Crede, vel invitum fingere Tiresiam.
9 Usque vide quid aget, nec videris, uxor : at addas
10 sic tibi cum geminis cornua bina oculis.

CUJUSDAM AULICI, DUM VIVERET OMNIA AD NUTUM GUBERNANTIS, EPITAPHION.

E_34 v.1 Dum vixit, congegit opes, sed (pro dolor) anne
2 sero sapit, morte est cui modo adempta sitis ?
3 Quas mens nunc habitet sedes, ne quaere : superstes
4 cum foret, huic numquam sollicitudo fuit.

IN EFFOEMINATUM.

E_35 v.1 Cinnama quod redolet, redolet quod balsama, quod tus,
2 haec signant fusum, pensa, quasilla, colum.

IN JANUM QUEMDAM EUNUCHUM.

E_36 v.1 Cur speciosa tibi tam grata est, Jane, puella,
2 dulcia quae teneris basia det labiis ?
3 Basia det labiis et grati morsibus oris

4 purpureas faciat per tua colla notas.
 5 Provocet et linguam lingua certante trementem,
 6 provocet et tenerum mollis amoris opus.
 7 Haec ludicra placent, ais, at post femina ludos
 8 seria vult : quid ages, cum nihil emineat ?

DE HERCULE ET ANTHAEO CERTANTIBUS, E CRAECO.

E_37 v.1 Libs Anthaeus equum subactor, alma
 2 Neptuni soboles deaeque Faunae,
 3 et natus Jovis impiger tonantis,
 4 decrevere simul truces lacertos
 5 quondam conserere aspera palaestra,
 6 nec certamen erat tripos utrique,
 7 nec laeves paterae aeris aut lebetes ;
 8 sed quod vel pareret necem, vel auras
 9 auferret, Libycus cadit, parentis
 10 natum vincere praestitit supremi,
 11 ut summe genitum : insuper palaestrae
 12 durae Graecia semper est magistra,
 13 non autem Libyae parens ferarum.

SECURITAS NON TUTA.

E_38 v.1 Securus nimium malefidi est ille pericli,
 2 cujus nulla animum sollicitudo premit.
 3 Nam Baccho, Veneri, et Somno indulgere quid adfert ?
 4 Subsequitur tacito mors inopina pede,
 5 dum torpere juvat picto resonante fritillo,
 6 ambiguus genio dumque vacare modis.
 7 At vero, o juvenes, fatis melioribus acti,
 8 urgenti segnem pellite calce feram.
 9 Haec scelerum omne genus fons omne genusque malorum,
 10 saevior, expulsa matre, noverca furit.
 11 Effugite, o miseri, quos mentis inania tardant
 12 otia et hic nostrum ne cohibete gradum.

DE CORVO TACITO JUXTA CANORAM LUSCINIAM.

E_39 v.1 Corve, obmutescis prudens, dispendia linguae
 2 conqueritur cantans dum philomela suae.

N. FLAMENTIO.

E_40 v.1 Prome tuum populo, Flamenti, quaeso, libellum :
 2 dedecus est docto conticuisse diu.
 3 Educ pulvereo vinctas de carcere musas,

4 immortale tibi nomen ut inde pares.
5 Aeris elanguent avidae tenebrasque perosae,
6 amittunt formae stemma decusque suae.

GULIELMO SCAEVAE LUGDUNENSI.

E_41 v.1 Quod mihi pro xeniis das carmina, carmina reddo :
 2 senio si recidit, nos sumus ambo pares.
 3 Sed tua sors nostra potior, nec dixero causam,
 4 quin tua carminibus sunt meliora meis.
 5 Sic pro armis, fuerant centum quae bobus emenda,
 6 Titides Glaucō deteriora dedit.

ROBERTO SAPIENTI.

E_42 v.1 Perge scelus Gyaro dignum committere : credent
 2 esse omnes, quod agis, vel Sapientis opus.

IN BUDAEI ERASMIQUE COMMENDATIONEM.

E_43 v.1 Latinum Latium, Atticas Athenas,
 2 Suadam, cum Clario novem sorores,
 3 supremam sophiam artiumque pontum,
 4 uno nomine vis age edolate
 5 complecti ? Aut Batavum voces Erasmus aut
 6 Budaeum patriae, orbis imo honorem.

CAPELLO AMICO, POETAE, ET ORATORI CLARISSIMO.

E_44 v.1 Educat in gremio te Pallas, te, et tua tingit
 2 ora Medusaeo Calliopeia vado.
 3 Et tibi de gemina praetexit fronde coronam,
 4 teque etiam vatem vatibus addit avis.
 5 Nostrates etenim quicquid scripsere poetae,
 6 sive oleat nectar, seu melimela sapis.

IN LONGOLII COMMENDATIONEM.

E_45 v.1 Aetate hac nostra cuiquam Ciceronis inesse
 2 eloquium, nervos vimque stylumque negant.
 3 At tua, Longoli, auscultent sine nomine, nullum
 4 jurabunt aliud tam Ciceronis opus.

AENIGMA DEUS.

E_46 v.1 Quo caelo caelos mobiles,
 2 caelo alta caelo sidera,
 3 caeloque terrestres deos,
 4 omnes simul terras, mare.

DE J. ROSSELETTO AVO PATERNO.

E_47 v.1 Trina Pyli regem prudentem saecla dedere,
 2 at fecere decem hunc octoque olympiades.
 3 Cujus ut ornarent sublimia sidera mente,
 4 lanificae hunc nobis eripuerere deae.

IN ROBERTUM BULLIODUM, DIVI PAULI LUGDUNENSIS SACRISTAM.

E_48 v.1 Siquis virtutis custos bene fidus et aequi,
 2 siquis non ficta simplicitate probus,
 3 eximius cultor siquis vel alumnus honesti,
 4 sique suos referat moribus ullus avos,
 5 siquis, cui curae probitas orisque animique
 6 arcanum qui omni tempore mente tegat,
 7 siquis qui recte vitanda sequendaque dicat,
 8 jam moriar, si non Bulliodus fuerit.

QUIETEM NON NISI POST MORTEM EXPECTANDAM.

E_49 v.1 Cum tibi nulla quies habeatur in orbe, laboris
 2 post obitum speres praemia digna tui.
 3 Nec magis humana quaeras in sorte quietem
 4 quam tela in ventos quae modo missa volant.

IN CUJUSDAM EFFIGIEM.

E_50 v.1 Marmoribus vox est et silvis abdita, sed dic
 2 haec vi cur verax vocis imago caret ?
 3 Si vivum hunc nosti, viva est viventis imago,
 4 nec minimo differt : mutus enim ille fuit.

AMICITIA.

E_51 v.1 Gemmea diripiunt fures carchesia et aurum ;
 2 sed puram nemo tollit amicitiam.

AMEDEI BRUNELLI TUMULUS.

E_52 v.1 Dum vi corporea valet Brunellus,
 2 usu militiae atque disciplina
 3 castrorum inclytus est et enitescit.
 4 Et sic officium Appulis in oris
 5 praestat militis impigri bonique,
 6 jam ut plane sibi vendicaret inter
 7 mortales decus Herculi secundum,
 8 hunc nobis fera sustulere fata,
 9 superna inter ut astra collocarent.

AMORIS IMPATIENS.

E_53 v.1 Me gravis urit amor taedisque accensus amaris
 2 saeva pharetrati perfero jura dei.
 3 Nec mea conclusi sinit alto lumina somno,
 4 sed magis atque magis me violentus edit.
 5 Qui vult omnigenae tormenta ediscere poenae,
 6 is tua blanda citus castra Cupido petat

GULIELMO CASTALIO DOCTORI THEOLOGO.

E_54 v.1 Castalio Aonidum, Phoebique vocatus ab amne
 2 nec sine re tibi sunt nomina Castalii.
 3 Castalius liquidas rivus diffundit ut undas,
 4 fontis et irrorat sicca labella liquor,
 5 sic tua mellitum diffundens vena liquorem,
 6 barbariem grato mixta labore fugat.

IN P. QUENDAM MENDACEM.

E_55 v.1 Linquere tres libras nuper promiserat auri
 2 Petrus. At is tantum verba reliquit : homo est.

IN AMICUM FORTUNAE, NON HOMINIS.

E_56 v.1 Utile non optat, qui vero est captus amore :
 2 utilitas et amor non bene conveniunt.
 3 Sic quia sperabas fecundum ac utile de me,
 4 non amo te : utilitas est in amore scelus.
 5 Semper amas, nec amoris habes fomenta nec ignem ;
 6 deteriore ut ames condicione, peri.

IN GRAECUM ALIENORUM OCCUPATOREM.

E_57 v.1 Quae tibi mitto, soles tua dicere carmina passim ;
 2 mentiris : mendax Graecia, Graecus homo es.
 3 Altera si de me vis carmina forsitan habere,
 4 ut tua legitimo jure putentur, emas.

DE INVIDO VOTUM AD FORTUNAM.

E_58 v.1 Lydia Maeonii non opto flumina fontis
 2 nec cupio gazas, magne Sichaee, tuas.
 3 Sed tantum hoc cupio praestes Fortuna roganti,
 4 ut pereat tristi zoilus invidia.
 5 Esse putasne preces aequas, o diva, precari
 6 scilicet, inventis ut cadat ille suis ?

CLAUDII LAURENCINI PROBISSIMAE VITAE VIRI TUMULUS.

E_59 v.1 Post multam subolem, defuncta conjuge, flamen
 2 fit sacer : his actis (rite) beatus obit.
 3 Marmoreum hoc cujus cineres subiere sepulchrum,
 4 mens in sidereo diva recepta polo est.
 5 Hanc ergo venerare, cinis qua conditur, urnam,
 6 funde sacrum rorem, tura, preces, violas.

DE MATHONE, MILONE ET LATRONE.

E_60 v.1 Te, Lenaeae, colit Matho bibosus,
 2 te, Lucina, colit latro dolosus,
 3 colit, Cypria, te Milo petulcus ;
 4 at non crediderim pium Mathonem,
 5 at non crediderim probum latronem,
 6 at non crediderim bonum Milonem.

AMENS ET AMANS IIDEM.

E_61 v.1 Sunt amens et amans idem. Nam mentis uterque
 2 nil habet : infelix quod sine lege furit.

DE MEVIO, QUEM UXOR RELIQUERAT.

E_62 v.1 Haud nova res, sponso mollis Domicilla relicto
 2 insequitur moechum quod fugitiva suum.
 3 Anxius hanc quaerit vir, praeco haud defit et hujus
 4 omni divorum nomen in aede sonat.
 5 Rident astantes, nec inepta facetia surgit :

6 sic grave majori vulnere vulnus alunt.
 7 Ille sibi positus vivat (sic consulo) curis,
 8 propositique habeat verba fidemque mei.
 9 Pendeat an collo ni argutum aes, per loca vaccam
 10 invia vix poterit quis reperire vagam.

DE VIRGINE CORRUPTA.

E_63 v.1 Quid potuit majus ? Quid perdere rarius unquam ?
 2 Quam sanctae eximium stemma pudicitiae ?
 3 Sed mihi quid tandem prodest querimonia, si non
 4 sit socias inter me prior ulla meas ?
 5 O me felicem, mihi si natura dedisset
 6 non fore vel saltem hac posse carere nota.

IN FEMINARUM LEVITATEM.

E_64 v.1 Penna levis, levis est pumex, levis aura, sed ipsa
 2 feminea levius quid levitate vides ?

DE PUTATIVIS PATRIBUS IN SPURIUM QUENDAM.

E_65 v.1 Esse putat patres tibi mille ignobile vulgus :
 2 res absurda, parens si satis una tibi est.
 3 Et si mille tuam presserunt (hoc volo) mille
 4 sint an ob id patres, consulito Hippocratas.
 5 Esse genus patris dubium at plerumque videmus ;
 6 credo secus matris, tu tibi testis eris.

IN MUSICUM INEPTUM.

E_66 v.1 Dulce mori in cantu. Quoties namque audio dulcem
 2 te cantante lyram, suspicor ipse mori.

IN QUENDAM JURIS TRIOBOLAREM, ET SCIOLUM DOCTOREM.

E_67 v.1 Qui duplicis calles nodosa aenigmata juris,
 2 justitia utrum animal sit, tibi non liquidum est.
 3 Non tibi sat notum cur res a lite secetur,
 4 arbiter et iudex dissidii quid habent.
 5 Hic meus est nodus, qui me male vexat et angit
 6 esse meum ingenium nec sinit in placido.
 7 Utrum legitimis desidero nosse quid agris
 8 Serbidius sparsit, quid quoque Celsus habet.
 9 Codice in antiquo de incude et lege camino,
 10 Azo aliquid forsitan juris in acta refert.

11 Lex etiam Cyclops, viduis de animalibus, isthaec
 12 scripta tenent, griphum solve gnara meum.
 13 Sed cur haec scruter ? Tibi namque scientia pauca est :
 14 scire parum non est scire. Quid ergo ? Nihil.

IN QUENDAM STATURA GRANDI.

E_68 v.1 Vis dici (cum sis procero corpore) bellus,
 2 haud bene cum magnis mixta pusilla vides.

DE VITA LAETA AD COLINUM.

E_69 v.1 Quid maestam juvat atque luctuosam
 2 longaevamque agere, o Coline vitam ?
 3 An non candidior beatiorque
 4 si sit vita brevis, modo haec jocosa ?

JO. HOMEDEO NON INSUAVI POETAE.

E_70 v.1 Gratia, laurus, honos, insignia Apollinis adsunt
 2 dona tibi : egregii nomina vatis habes.
 3 Exprimit hoc quod nomen habes hominisque deique,
 4 nam mortalis homo es corpore, mente deus.
 5 Phoebi igitur vates Phoebaeo numine plenus,
 6 nec praeter Phoebum quid tua musa sonat.

ANTO. A CASTRO.

E_71 v.1 En Castrum nobis, cui nec labentia vitae
 2 tempora nec Martis possit obesse furor.

JUVENI TYROCINANTI.

E_72 v.1 Sis humilis, nulli sociorum detrahe, pacem
 2 dilige, doctori morigerare tuo,
 3 omnibus acceptus tristisque a fronte recedat
 4 nemo tua, faciles tradito cuique oculos,
 5 est generosi animi argumentum id amabile cunctis :
 6 sic sapiens, juvenis, qui facit ista sapit.

QUID SIT VITA MORTALIUM

E_73 v.1 Qui nescis quid sit nostrum hoc quod vivimus, audi :
 2 transitus in mortem est Herculeusque labor.

AD SYLVIUM PUERUM FORMOSUM, SED MALAE INDOLIS.

E_74 v.1 Multa tibi toto venus est in corpore : splendes
 2 fronte, oculis, mento, naribus, ore, genis.
 3 Sed tibi Sylvi animus, mens undique et undique pectus
 4 apparent ipsa sordida sorde magis.
 5 Nil illo pejus, nihil illo turpius hercle est
 6 qui, praeter mentem, cetera pulcher erit.

AD PHOEBUM DE DAPHNE FUGIENTE.

E_75 v.1 Arcum linque, reconde tela Paeon,
 2 te Peneia virgo non fugit, sed
 3 saevas Phoebae tuas timet sagittas.

DE PICTORE PINGENTE DEOS ARMATOS.

E_76 v.1 Fecerat armatos, pictor Lacedaemone, divos :
 2 velle sacris dicas bella movere focus.
 3 Terribiles haud esse decet, ne forte precantis
 4 terrorem turbae mentibus incutiant.
 5 At quoniam vitiis hominum plerumque putavit
 6 succensere deos, pingere sic statuit.
 7 Nam secus iratos si quisset fingere, inermes
 8 pinxisset, numen pingere sed nequii.

PRAECEPTORI SUO JURIS UTRIVSQUE PERITISSIMO, CUI NOMEN RIPA.

E_77 v.1 Ripa tibi est nomen, facto nec dissona res est,
 2 ripa quia es legum, ripa quoque es canonum.

AMICO VATI OPTIMO LAPITHAE.

E_78 v.1 Fecit ut attonitos quondam delphinas Arion
 2 tangendo querulae dulcia fila lyrae,
 3 ut Poenos etiam crinitus movit Iopas,
 4 cum semel aurata personuit cithara,
 5 ut Phlegethonteos turbavit pectine manes,
 6 conjugis Eurydices tam memor ille suae,
 7 sic mea musa tuo vates est territa plectro,
 8 Cecropii tantum dogma leporis olet.

DE SUFFICIENTIA, EX GRAECO.

E_79 v.1 Ad manes veniens jam deficiente senecta

2 Diogenes, Croesum vidit, et exsiliit.
 3 Hunc prope mox (fuerat multo qui turgidus auro)
 4 detritam sternens, haec ait, endromyda :
 5 "Croese, loci mihi plus nunc est, nam quicquid habebam
 6 est mecum, sed habes jam nihil ex opibus."

IN QUENDAM DEGENEREM.

E_80 v.1 Turtur eras nuper, phoenix, itys et Jovis ales,
 2 nunc es strix, bubo, noctua , corvus item.

IN POETAM INDOCTUM.

E_81 v.1 Quid tibi cum Clario ? Quid cum vesane Camenis ?
 2 Otium age, auritus ni cupis esse Mydas.

IN IMPURUM GENERIS, ET DIVITIARUM JACTATO REM. QUAE SIT VERA NOBILITAS.

E_82 v.1 Quod tibi felici faveat Rhamnusia cornu,
 2 fonteque ab ingenuo sit generis series,
 3 haec te non possunt illustrem reddere : fontem hunc
 4 tam clarum infecit nam tua spurcicies.
 5 Expete virtutem : virtus verissima quippe est
 6 nobilitas, reliqua at rem improbitatis habent.

MONITORI SUO.

E_83 v.1 Praecipis, ut sapiam, qui fiet ? Cum lateat me,
 2 quid sapere est : agedum vis sapiam ? Sapias.
 3 Exemplo mihi cum fueris, tua simia fiam,
 4 atque sequar, tuleris quam prior ipse, facem.

IN JUVENEM EPISCOPUM MAGISTRATU ELATIOREM FACTUM.

E_84 v.1 Laetus Apollinei Phaeton moderamina currus
 2 sumpsit ; post bipolo tristis ab axe ruit.

EPITAPHION JO. PYRRHI ANGLEBERMEI JURISCONSULTI DOCTISS.

E_85 v.1 Qui legum insignis fuerat quondam Oedipus, orbi,
 2 manibus et superis cognitus, ecce jacet.
 3 Mens erat huic dubias divini solvere juris
 4 ambages, sed non fata dedere modum.

DE VILLICO.

E_86 v.1 Introitus vitae par regibus, exitus idem :
2 inter utrumque quid est, quod vetet esse pares ?

DE NICOLAO BERALDO AURELIANENSI.

E_87 v.1 Aureus ut claro Titan resplendet Olympo,
2 cum Lydo radios ducit ab amne suos,
3 candidus a Genabo veniens sic urbe Beraldu,
4 astra nitore fugat deteriora suo.
5 Non huic dulce melos, suavis facundia desit,
6 quicquid possedit vel Plato, solus habet.

AD ANTONIUM HERONUM PARISIENSEM.

E_88 v.1 Quod sint heroum dotes, puto numina nomen
2 proli conveniens imposuisse tuae.
3 Mercurii sermo, cor Phoebi, forma Diones,
4 Junonis gravitas, cetera sunt Charitum.

DE GERMANO BRIXIO.

E_89 v.1 Quantus in invictis Caesar fuit inclutus armis,
2 tantus in heroo carmine habendus erit.
3 Nam vates Latio quisquam aequiparandus Homero,
4 si non Germanus (quis rogo ?) Nullus erit.
5 Plaude igitur Latium nostrati plaude Maroni,
6 plaude simul vati Celtica terra suo.

IN SALMONII MACRINI LAUDEM.

E_90 v.1 Castalides adsint, positus Salmonius harum
2 in medio : Phoebum Pieris aula refert.

VESPERTILIO.

E_91 v.1 Ut quadrupes et avis volitat, discurrit et inter
2 quadrupedes non est nec numerandus aves.
3 Lacte suos nutrit pullos, et non parit ovum :
4 sunt alae, dentes, labra, pedesque duo.

DE INGRATO.

E_92 v.1 Terra homine ingrato pejus nil procreat, herbas

2 ipsa licet gelidas atque venena ferat.

IN PERFIDUM.

E_93 v.1 Perfidiam damno promissaque vana, fovetur
 2 quod spes deterius quam insinuata fuit.
 3 Frons animum gestet, labiis nec pectus ab ipsis
 4 distet, eant simili linguaque mensque pede.
 5 In silicem an magno mutatus Atlantide fertur
 6 Battus, convictus crimine perfidiae.
 7 Stes, quaeso, pactis et sis alienus ab illo,
 8 atque sacram pigeat te violare fidem.

AD EURIPEN MERETRICEM.

E_94 v.1 Diceris Euripe, quia semper et usque moveris,
 2 vel quoniam instabilis stare loco nequeas.

IN HERMONIS AVARITIAM.

E_95 v.1 Se convivia forte sumptuosa
 2 parcus sternere somniabat Hermon,
 3 quae dum somnia noscit, ex dolore
 4 somnians laqueum sibi obligavit.
 5 Hinc avare animo nimis tenaci
 6 tam aeri parcere nosce quam molestum.

N. FLAMENTIO.

E_96 v.1 Dilexit Casprum Marius, Patroclus Achillem,
 2 Hopplaeum Dymas, Thesea Pirithous,
 3 Damonem Pithias, Alcides Nestora, Mopsum
 4 Aesonides, Tydeus Oedipodionidem,
 5 hos tamen excedit longo discrimine concors
 6 noster amor, concors foedus amicitiae.
 7 Foedus amicitiae nullo violabile saeclo,
 8 cui superum aeterna subveniatur ope.

PRAESIDENTI CURIAE PARLAMENTEAE, CUI NOMEN VERIUS.

E_97 v.1 Ver, jus, cum duo sint, unum ver efficis et jus :
 2 jus das, ver renovas, et jus quoque diceris et ver.
 3 Ver quo cuncta vigent, quo ablato deficient jus.
 4 Jus redde ablatum, dulce ut tandem redeat ver.
 5 Ver nobis referes iudex, si reddideris jus ;
 6 jus justumque aderit, sic vere jus eris et ver.

7 Ver nostris aderit votis, cum parte sua jus.

AD SODALES.

E_98 v.1 O si meorum forte qui sodalium
 2 conspexeritis hunc libellum ineptulum,
 3 proripere se quoquam, superbum, audaculum,
 4 caesum flagellis hunc mihi reducite :
 5 natum vagari haud inscio licet patre.

AD LIBRUM.

E_99 v.1 Tus liber inconcinne leges, si tam cito solvas,
 2 hoc tibi de Deli vaticinor tripode.

JO. PERRELLO, QUEM SUORUM EPIGRAMMATUM DELIGIT ARISTARCHUM,
 OB ID LIBRUM SUUM HORTATUR, UT EUM ADEAT.

E_100 v.1 Cui dabo illepidum meum libellum,
 2 scito pumicis ungue levigandum,
 3 quam tibi lepido meo sodali ?
 4 Quam viro tibi naris haud obesae ?
 5 Hoc qui tempore syllabas ad unguem
 6 calles prae reliquis, nec ullus hasce
 7 te novit melius (patrum benigna
 8 dictum pace sit) aut magis decenter
 9 naevis sectile theta praefigurat.
 10 Siquid namque placet parum et remissum est,
 11 morsu spongia deterit frequenti.
 12 Siquid illepidum superfluumve,
 13 formas malleolo polisque lima.
 14 Figuras itidem sciensque fingis
 15 caelo, Apolline perficisque dignum.
 16 Ergo ineptule perge codicille,
 17 ut sis insipidus libellus usque,
 18 Perrelli arbitrium require nostri :
 19 implumis, glaber, insciens volatus,
 20 plumabis lepide sub hujus alis ;
 21 tum doctus populi advolabis ora,
 22 et palatia principum et theatra,
 23 nec turpem metues Neronis anum
 24 verpo emungere rancidique vatis
 25 Maevi vel Bavii, improbive Marci.
 26 Ergo adi ingenuum liber sodalem,
 27 nostro nomine cui data salute,
 28 purgatam illico velle dic in aurem,
 29 harum primitias ineptiarum,
 30 simplicesque jocos inanis oti,

31 censuram illius et pati et subire,
 32 priusquam veniant in ora vulgi.
 33 Demum cum fueris probatus illi,
 34 totus cedri oleo ambulabis unctus,
 35 totus splendidior nitebis auro,
 36 vitro clarior, atque luculenta
 37 fontis Pierii eminebis unda
 38 et pictus minio micabit index.

DE LUCIAE SVAE CANDORE.

E_101 v.1 Lucida lucidulis lucet mea Lucia membris
 2 nullaque lucidulo pectore menda sedet.
 3 Lucida lucenti non lucet lumine luna,
 4 lucida si dominae videris ora meae.
 5 Collum, oculi, nasus, dentes, frons, ora, capillus
 6 mamma, manus, venter, crura pedesque micat.
 7 Emicat et nitidum niveo cum pectine pectus :
 8 Lucia sic toto corpore virgo micat.

DE APOLLINE LAURUM CAEDENTE.

E_102 v.1 Daphnen dicis amo, et me incidis, sentio, versa
 2 sim sacrae quamvis arboris in speciem.

SATURNALITIUM CARMEN PRO XENIIS AD PETRUM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

E_103 v.1 Dum pater ostendit templo Junonius alto
 2 Janus inoffensa robora dura manu
 3 atque relucenti Capricorni sidere primum
 4 adjuncta solis lampade fulget honos,
 5 nocte ortus media fatalem cernere lucem,
 6 infimaque haec voluit visere regna deus.
 7 At non regalem regum rex summus in aedem
 8 delapsus, blando vagiit ore puer.
 9 Fudit inauditos inter praesepia fletus,
 10 excepit magnum caula pusilla Jovem.
 11 Nempe potest glaucus tenui Beryllus inhaere,
 12 paupere et in tecto caelicus esse deus.
 13 Interea Jani sed factus apella Calendis,
 14 martyrii jussit concelebrare diem.
 15 Deque suo pulchros elegit corpore flores,
 16 publica queis genti sit data strena suae.
 17 Ecce dies ergo mitti quibus atque remitti
 18 alterna solitum est munera grata vice.
 19 Non aurum, non gemma mihi, non purpura, non tus,
 20 non pira, caseoli, persica, fraga, nuces.
 21 Saturnaliciis pro donis mittimus ergo

22 versiculos, fructus pauperis ingenii.
 23 Pastoris manibus, qui Persica sceptra gerebat,
 24 is facili oblatam fronte recepit aquam.
 25 Non aurum, non gaza potens carique lapilli
 26 addunt muneribus, sed mage cor, pretium.
 27 Tuque meum pectus stricto si dividis ense,
 28 illic, quae tua sunt nomina, scripta scies.

MAURITIO ET ROBERTO BULLIODIS FRATRIBUS.

E_104 v.1 Traxere ex animi siqui amplis dotibus umquam
 2 nomina, dos vestro contigit haec generi.
 3 Nam cum vestra domus spirarit Nestora pleno
 4 pectore, et hanc Consus rexerit oeconomus,
 5 jam nemo donasse negat cognonima vobis
 6 consilium : quadrat nominis idque rei.
 7 "Bole" consilium vobis dat nomina "Boule",
 8 hinc via consilii "boliodos" fuerit.
 9 O nusquam nomen musarum a fonte remotum,
 10 et quod Calliope, Pallas, Apollo velint,
 11 quod colat Harpocrates Hermesque observet et ob quod
 12 vos solum possit patria suspicere,
 13 ob quod item, studium praeter moresque receptos,
 14 sum vobis arta nexus amicitia.
 15 Quae veluti tenero vobiscum coepit ab ungue,
 16 jam crescente aevo crescat et illa magis.
 17 Nec senii vires haec sentiat ulla nec umquam
 18 possit Leucadii falx abolere senis.
 19 Sed semper viridi ceu florens virgo juventa,
 20 perstet in aeterna vivere digna rosa.

DISCORDIA.

E_105 v.1 Magna tiaratos turbat discordia reges,
 2 jurgia nonne fovet dira popellus inops ?

AMICO GUILIELMO SCAEVAE.

E_106 v.1 Me tua quid nuper modulamine scripta recenti
 2 inter Apollineos constituere patres ?
 3 Quid tanta referam tibi dignum laude ? Nec esse
 4 istius oblitum me decet obsequii.
 5 Ast adeo laudum cumulo non efferor, aptem
 6 propter id ut fronti cornua bina meae.

EPITAPHION N. FLAMENTII, ET JANAE EJUS UXORIS.

E_107 v.1 Quos praedulcis Hymen artaverat, improba telo
 2 Nicolon et Janam mors abolere nequit.
 3 Amborum hoc uno sunt posta cadavera busto
 4 morbus quos unus stravit et una dies ;
 5 Pyramus et Tisbe quondam his exempla dedere,
 6 exstinxit Lachesis quos rapida igne pari.
 7 Utrosque unus amor junxit, nox abstulit una :
 8 sic et mors dulcis, vita ut utrisque fuit.

PATRONI CUJUSDAM PARISIENSIS REPENTINA MORTE CORREPTI EPITAPHION.

E_108 v.1 Dum causas peragis patrone, sternit
 2 te mors cruda : vale, negotium actum est.

DE LAUDE MEDICINAE AD ARCHIATRUM FRANC. REGIS PRIMI, ANDRAEAM BRIELLUM.

E_109 v.1 Saepius humanae meditans discrimina sortis,
 2 mortales miserum nos reor esse genus.
 3 Undique maestitiae invadunt atque undique pestes,
 4 in puncto ad summam mors rapit atra diem.
 5 Nullus abit sospes, sub tecto vivitur aegro ;
 6 plurimus et patulo sub Jove langor adest.
 7 Illa procax nimium tantas audacia labes
 8 quae supero faculam traxit ab igne dedit.
 9 Sed quid ego cura venio questurus inani ?
 10 Quid doleo medica quod reparatur ope ?
 11 Obvia letiferis properans medicina periclis,
 12 sola Prometheas pellit ab orbe lues.
 13 Haec hominum custos, haec languida membra focillat,
 14 haec reficit miseros, haec mala tanta fugat.
 15 Stirps chaos in caecum quoties humana ruisset,
 16 talibus obstaret ni medicina malis ?
 17 Huic licet austeras fatorum infringere leges
 18 praefixumque homini multiplicare diem.
 19 Ferre colum Clotho, Lachesin producere stamen,
 20 Atropon a filo cogit abesse procul.
 21 Haec Phryga Tithonum multos servavit in annos
 22 Neleoque dedit saecula longa seni.
 23 Haec Bromii vetulas, pulsas de corpore rugis,
 24 Aesonaque Aonium teque, Iolae, novat.
 25 Hac sine quot Stygiis animae periere sub undis ?
 26 Hac duce Taenariorum rediere lacu ?
 27 Haec Phlegethonte Thesiden traxit ab amne
 28 vixit et innumeros Virbius inde dies.
 29 Distulit haec letum Androgeo, haec Tyndaridasque
 30 Cerbereis mersos faucibus eripuit.
 31 Judice per cunctas si me discurritis artes,
 32 Paeonia constat grandius arte nihil.
 33 Quod medicus, quod et aegrotis sis liber amicus,

34 has tibi primitias mitto, Brielle, rudes.
 35 Ut quoties tremula flagrabunt pectora febre,
 36 me tibi devotum demereare. Vale.

IN PERVERSUM HOMINEM.

E_110 v.1 Ut captam conspexit avem inter retia falco,
 2 ne laqueis iisdem detineatur, abit.
 3 Sic peccare times poenae formidine, ad hoc non
 4 allicit egregium te bonitatis opus.

DE TABULIS IN GALENUM, MEDICORUM OMNIUM POST HIPPOCRATEM FACILE PRINCIPEM
 A STEPH. DUTEMPLAEO EDITIS.

E_111 v.1 Spreta jacent penitus sine numine templa Corinthi,
 2 Laide semota, qua patuere diu.
 3 At modo templa patent nova, quae non ante, Galeni,
 4 sic voluit cunctis laureus aedituus.
 5 Si quod enim divi illius sub nomine templum est,
 6 curat hic atque ipsus nomina sacra refert.

IN QUENDAM CUI NOMEN TAURUS.

E_112 v.1 Nunc tua cum supero luceret lampas in orbe,
 2 cur modo pro superis infima regna tenes ?

AENIGMA.

E_113 v.1 Mater me genuit patris, quae semper in alvo
 2 vivo, meo genitrix et mea ventre latet.
 3 Patrem habet et matrem, cujus sum filia, mater
 4 matris ego, vero verius ista cano.

ADVOCATO VITAE INCULPATAE BENEDICTO CURTIO.

E_114 v.1 Cur tibi committat lites jam quisque tuendas,
 2 atque tuum ut sacra numen in aede colat,
 3 hoc, quia tu fidus, donis nec vinceris ullis :
 4 sol rutilus linguam nec cohibere potest.

AD INGENUUM ADOLESCENTEM.

E_115 v.1 Si tibi sit gustu radix virtutis amaro,
 2 ne spue : post gratus plus tibi fructus erit.

CUIDAM QUI NIL NISI HORRIDUM AMABAT, ET FACIEBAT.

E_116 v.1 Horrida ferventi quod carmina bile reponis,
 2 lectori horrorem vis (reor) incutere.
 3 Horrida tu laudas, at dulcia carmina laudo :
 4 horridum ames igitur, plus mihi suave placet.

CUIDAM TONSORI.

E_117 v.1 Radendam ad barbam si tantum es, Petre, vocatus,
 2 cur mea cum barba est rasa crumena tibi ?

IN OTIOSUM, ET INERTEM, E GRAECA COMOEDIA.

E_118 v.1 Aurum cui non est, cui non est cura parandi,
 2 hic vitam humanos mortuus inter agit.
 3 Nempe aurum est anima et sanguis mortalibus : ergo
 4 non vitam hanc victus quae sit egena voces.

EPITAPHION CUJUSDAM.

E_119 v.1 Musas qui coluit minus severas,
 2 queis a limine dixerat salutem,
 3 junctus dum thalamo foret jugali
 4 suavi Antoniolae ; hac dehinc nefastae
 5 mortis terrificam induente nubem,
 6 is (rursum sibi naufragus Loysam
 7 junxit connubio domus Gonettae,
 8 ex qua sustulit utriusque sexus
 9 liberos nitidos obesulosque.
 10 Sat est hospes : abi, pioque sacram
 11 funde aquam cineri uritoque tura.

IN LEVISSIMUM QUENDAM.

E_120 v.1 Te libret siquis, nil pendes, tu quia velox,
 2 usque adeo levis es, te nihil ut levius.
 3 Nam stipula levior vento pappoque volanti,
 4 flare levem ut Boreas te super astra queat.
 5 Sed dat ut exterius specimen natura, quod intus
 6 delitet ingenium sic leve, corpus ut est.

DE FOEMINIS CAUDATIS.

E_121 v.1 Distento mulier quod verrat syrmate terram

2 longas vult caudas, despuit illa breves.

THEOBALDO PIGENATO.

E_122 v.1 Quando Pigenati scribis tibi nomina, forsan
 2 illa rei vera non ratione carent.
 3 Quicquid difficiles ortus crementaque tarda
 4 servat, id excellens, fertile, dives opus.
 5 Pigrius es natus, probitas nativa fatetur,
 6 unde Pigenati nobile nomen habes.
 7 Forte Pigrenatum quivis te dixerit : aegre
 8 littera de sima nare canina sonat.

MATTHAEO VAUXELLO JUDICI MAJORI.

E_123 v.1 Quid te onerem laudum cumulo, Vauxelle ? Tua ex te
 2 a populo virtus nota frequente satis.

JOANNI PERATTIO SUPPRAEFECTO LUGDUNENSI.

E_124 v.1 Sic positus nuper duro in discrimine mortis,
 2 omnino vitae spes ut adempta foret.
 3 Protinus epoto (ceu Glaucus) melle resurgis
 4 et raptum a corvo carpis hiante bolum.
 5 Vive ergo, Aurorae et numeres tibi conjugis aevum :
 6 Dii faciant aliter non moriari. Vale.

N. BARTHOLOMAEO LOCHIENSI POETAE CLARISS.

E_125 v.1 Sunt caput interrasmus humerisque cucullus adhaeres,
 2 quos prope larvatos efficiunt, monachi.
 3 Hos habitus monachos reddunt, uti purpura regem
 4 hunc, cui majestas regia mensque deest.
 5 Ast te aliud monachum quam, Bartholomaeae, referre,
 6 quinque videt tonsar, lippus et exoculus.
 7 Ingenio es vivax et mentis acumine, versus
 8 sive aliquid prosa, carmine sive aliquid.
 9 Vive igitur felix, et mitia collige saecla ;
 10 religio vitam comprobat alma tuam.
 11 Qui jam mortuus es, mundo exsul, post tua vives
 12 fata : hominis tibi mors, vita deum similis.

DE ROGERIO CANCHIO MUSICO.

E_126 v.1 Neustrius a docto hoc differt Rogerus Hyagne, (Hyagnis est le père de
 2 bruta quod ille trahit, quod trahit iste viros. Marsias)

IN INGRATUM.

E_127 v.1 In tepido, ut fama est, gremio gestabat echidnam
 2 agricola, extremo frigore jam rigidam.
 3 Haec sed ut incaluit, ferit exitiosa foventem
 4 atque venenato vulnere mox perimit.
 5 Hoc ingrante modo benefacta rependis amico,
 6 illi pro perca scorpion objiciens.

CLAUDIO BARONATO APPRIME NASUTO.

E_128 v.1 Suspicit ob nasum te plurima turba, nec abs re
 2 multa tui est nasi gratia, multus honos.
 3 Nam si forte licet quemquam suspendere naso,
 4 non venit in nasum ronchus et ira tuum.
 5 Et quae obstrusa, sagax ita naso discutis acri,
 6 explorasque vafer, crimen et insimulas,
 7 ut te nemo queat dici nasatior, etsi
 8 huic nasus pleno sesquipedem emineat.
 9 Non habet is nasum, nasum qui impingit habenti,
 10 nec nasum cuivis ut tibi habere datum est.

IN JANAM QUANDAM NOBILE SCORTUM.

E_129 v.1 Postremae cum sis staturae Iana, quid hoc est,
 2 quod primi in nostra es nominis urbe, Chloe ?

DE MULIERE TESTES AD CAUSAM MARITI ROGANTE.

E_130 v.1 Cum deessent testes, cui lis sub iudice, conjux
 2 praecipit uxori testium adornet opem.
 3 Illa abit, et juvenis, cujus flagrabat amore,
 4 testes juratos in sua vota rogat.
 5 Cumque viri sic res pessum sine testibus iret,
 6 testium ope uxoris res valida acta fuit.

DEFUNCTUS AD VIATOREM.

E_131 v.1 Quid me lumine discutis, viator,
 2 tam horrenti ? Memori face id reponas
 3 fixum mente : quod es, fui, quod ipse
 4 nunc sum, cras eris : est mori necesse.

DE FORMA.

E_132 v.1 Tempore stat parvo praecellens forma rosaeque,
2 sic par forma rosis candida tempus habes.

IN OBITUM JO. BURGONOVANI, VIRI NON PAENITENDI, RELIGIOSIQUE.

E_133 v.1 Artes qui Veneris vicit, qui incendia Bacchi,
2 Junonisque ausus Martis et imperium,
3 qui non elatus, non aurae addictus inani,
4 qualis Priscus erat, qualis et Ancus erat,
5 quique pio cultu, constanti pectore, talis
6 Pompilius qualis sive Uticensis erat,
7 hunc rapit atra dies. Fati lex ferrea visque
8 effera, quam nulla inflectere vota queunt.
9 Quam non ingenii dotes, non vivida virtus
10 vitat, non aetas, stemmata, robur, opes.
11 Quod tamen is Bacchum, Junonem, Cyprida, Martem
12 fregerit : in portu navigat, inque vado est.
13 Monstris ut certe domitis Tirynthius heros,
14 victor in Elysios cessit ab orbe choros.

IN QUENDAM FORMAE SUAE, ET VITAE JACTABUNDUM PRAECONEM.

E_134 v.1 Cum forma te dicis Hylam, sophiaque Biantem,
2 dicere non de te tale celeusma pudet.
3 Bellus es et sapiens (quis enim neget ista ?) fatemur,
4 sed cum te nimium tollis, iniquus homo es.

IN CALUMNIATORES HOMEDEI.

E_135 v.1 Sunt qui saepe tuos ducunt de carmine mores
2 teque putant talem quale poema tuum ;
3 impinguntque tibi, quod agis nova sacra Lyaeo
4 quodque furorifico guttura rore lavas.
5 Qui balba de nare sonant ubicumque locorum,
6 crispantes digitos pone, manusque movent.
7 Hic Bacchi vates, qui Bacchi funera plorat,
8 suaviculo insani raptus amore dei est.
9 Praecoque tam assiduus dum Bacchanalia cantas,
10 afflatum perhibent numine pampineo.
11 Esto, quid hinc vitii ? Quid criminis inde resurgit ?
12 Velle quid est sceleris tantum adamare patrem ?
13 Dulce merum musis, equus est in carmine velox,
14 sed fit ab epota debile carmen aqua.
15 Attamen hic ausim affirmare, modestior usus
16 quod tibi, quam qui hoc te corripit opprobrio.
17 Ergo tuas cesset, quicumque est, carpere musas

18 invidus, et potum dicere velle virum.
 19 Sunt mores quam verba alii : tibi vita nitescit
 20 sobrietate, merum sed tua musa sonat.

FRANCISCO A BERGERIA.

E_136 v.1 Sive a rore cupis nostrum deducere nomen,
 2 sive rosa : nobis perperam utrumque quadrat.
 3 Nam rosa turgenti vernans a germine surgit
 4 gratior et specie splendidiore nitet.
 5 Sed mea protrito flaccescit musa nitore
 6 et putri tegitur jam cariota situ.
 7 Accepta est potius quod si tibi roris origo
 8 hacque velis nomen parte referre meum :
 9 non magis hoc tanto me credas stemmate dignum,
 10 a me etenim distat rosida vena procul.
 11 Ros namque e caelo numquam, nisi nocte serena,
 12 nascitur, et pulsa nube vel imbre fluit.
 13 Sed mea percurrent qui carmina, nubila dicent,
 14 Phoebeique illis roris inesse nihil.
 15 Quod tamen ipse mihi tantum das, debeo totum
 16 id tibi, qui nostrum hoc nomen honore beas.

JO. A GUTTA.

E_137 v.1 Dic quos nunc videas concordi vivere voto,
 2 quosve liget virtus Stoica, quosve fides.
 3 Nullus amicitiae leges aut jura veretur,
 4 incertam cum habeant saecula nostra fidem.
 5 Thesea nunc nemo est, nemo est qui praestet Orestem :
 6 si Euryalus quisquam est, Nisus et ipse aderis.

LEONIS AMICI EPITAPHION.

E_138 v.1 Esses nuper ad aulicas sororis
 2 tuae dum Leo nuptias vocatus ;
 3 his te posse negant adeste Parcae,
 4 sed praestabilius tibi parantes
 5 munus, fila tuae tenella vitae
 6 rumpentes, Hymenem beati ad agni
 7 quamprimum vocitant opimiolem.
 8 Felix qui haec Hymenaea festa cernis.

AD MERULAM SUAM.

E_139 v.1 Dulce canunt merulae, viridis cum venerit aestas,
 2 gratior est Merulae voxque sonusque meae.

IN FUREM.

E_140 v.1 Sunt tibi pes lentus, sermo, mens, omnia lenta,
 2 sed tamen ad furtum non tibi lenta manus.
 3 Autolicas cum forte manus ad furta parabis,
 4 supplicii (quod te jam manet) esto memor.

CLAUDIO SUO A RUPEFORTI.

E_141 v.1 Fercula tu donas. Mihi fercula multa supersunt
 2 pluraque quam terno absumere mense queam.
 3 At stomacho, Claudii, aegroto lentoque palato
 4 grata magis, si cum his detur orexis, erunt.

EROTEMATICON IN FORTUNAM PICTAM.

E_142 v.1 Visa tibi pictor Fortuna est femina ; visa est
 2 cur ? Quia femineo lubrica more fluit.
 3 An dea, dic sodes ? Dea nota utcumque per orbem.
 4 Cur globulo insistit ? Labilis instar aquae est.
 5 Cur oculis captam pinxisti ? Non videt illa,
 6 vel quibus aspirat, vel quibus ipsa nocet.
 7 Cur pars una vacat, pars plena est altera barba ?
 8 Ejus quod subsit sexus uterque pedi.
 9 Cur nudam ? Quod quicquid habet pueroque senique
 10 inconsulta etiam donet, adusque cutem.
 11 Et cur pennigeram ? Vehitur quicumque favore
 12 illius, ex humili scandit ad astra loco.
 13 Fundamenta pedes standi at cur dempseris ? Haec quod (lecture
 14 quae ferat, haud ulla sint stabilita basi. incertaine)
 15 Cur cornu laeva auricomum ? Cur dextera sceptrum
 16 gestat ? Opes illud signat, id imperium.
 17 Pro, tibi mens quidvis pingendi libera, nam cum
 18 Fortunam appellas, esse Chimaera potest.

EX CAPITE MALUM PENDERE.

E_143 v.1 Si vities fontem, fluvios vitiabis et omnes,
 2 et caesus ramus non sua dona feret.

IN TRISTEM DATOREM.

E_144 v.1 Mutua cum dederis sestertia quinque roganti,
 2 sed velut agro animo continuaque prece,
 3 id perhibent vulgo, ni gratia facta repente est,

4 ingrata est : prodest gratia sera parum.
 5 Et bene si pendas et perscruteris ad unguem,
 6 hunc, cito qui dederit, bis dare comperies.

GUILIELMI LALEMANI TURONENSIS ARCHIDIACONI AVUNCULI EPITAPHION.

E_145 v.1 De Parcis, Guilielme, queri desiste severis,
 2 a patria longe quod tumuleris humo.
 3 Non utique hinc plus quam inde viae ad sublime tribunal
 4 atque eadem est tellus, quam quis ubique videt.
 5 Et neque te moveat, subeas quod canus Olympum :
 6 est tibi tarda quies parta, sed ampla tamen.
 7 Ut studiosa tuae est rimatus scrinia mentis,
 8 caelo conscriptum te jubet esse deus.

IN P. AURATUM.

E_146 v.1 Auratus quia sis vultu facieque coruscus,
 2 id forte est, auri quod tibi nomen habes.

DE QUODAM TUTO AMATORE GRATIS AMANTE.

E_147 v.1 Ut videar tibi gratus, amo gratis ; tuus est qui
 2 non auro est partus, Marteque tutus amor.
 3 Hoc Helenen quivis, Danaen sibi vindicet illo,
 4 caeco etiam tutus sub duce castra sequar.

BLANDIENTI DETRACTORI.

E_148 v.1 Dicis amore rapi nostri. Non haec puto : verbis
 2 es mihi Titydes, es mihi corde Sinon.
 3 Et mihi das panem dextra, lapidemque sinistra,
 4 nae sunt perfidiae signa cavenda tuae.
 5 Fallere verus amor fidum non novit amicum,
 6 laedere nec tentat nec temerare fidem.
 7 Si non decipias, cesses si offendere, puram
 8 et violare fidem, munus Orestis ages.
 9 Quantum et amicitiae nodo complexus Achilli
 10 Patroclus mihi sis, tantum ero et ipse tibi.

JACOBO CALLIAE PRAEPOSITO GRATIANOPOLITANENSI.

E_149 v.1 Quid sit libertas disce, o Jacobe, nec illam
 2 in servis umquam si patiare, sapis.

PRO VINCENTIO BELLOQUERNEO AD JACOBILLAM.

E_150 v.1 It fluxu pelagus rapax volucris,
 2 cursu tempus abit magis volucris :
 3 cur, dum fata sinunt, minus jocularis ?
 4 Non laedunt superos joci : joceris.
 5 Pulchri sunt superis joci : joceris.

IN JO. ROSSELETTI FRATRIS IMAGINEM.

E_151 v.1 Haec cujus forma est, si quaeris, prospice formam :
 2 verum hominem pictus significabit homo.
 3 Forma hominis picti vivam mentita figuram
 4 si fallit, tangas : hic nihil est hominis.
 5 Zeuxis aves pictis illudere desinat uvis
 6 haec et aves fallit, fallit et haec hominem.

IN QUENDAM, QUI CONQUEREBATUR SE NON ESSE PONTIFICEM.

E_152 v.1 Quare pontificem non te fortuna creavit ?
 2 Quod foret haud capiti commoda mitra tuo.
 3 Sed tibi forte caput si sesquipedale fuisset,
 4 crede, tibi posset tanta tiara dari.

IN LUXURIOSUM.

E_153 v.1 Aurea Cyprigenae qui tendis ad atria divae,
 2 siste pedem et quid agas terque, quaterque vide.
 3 Grata virent prima, fateor, violaria porta,
 4 in medio residet conspicienda Venus.
 5 Persequere incoeptum, tortos in fine colubros
 6 invenies : sequitur gaudia summa dolor.
 7 Perfidus applaudit blanda sic scorpio lingua,
 8 dura sed insano cauda liquore necat.

DOCTORI BULLATO.

E_154 v.1 Doctorem te bulla creat, tibi bulla decori est,
 2 bulla tibi vires, bulla parit titulos.
 3 Sed caveas ne forte nimis te bulla perennet :
 4 bulla homo es et doctor bulla, quid ergo tumes ?
 5 Usque adeo te tollis humo, te fastus obumbrat,
 6 ut te, quod non es, turpiter esse putes.
 7 Insigne ingenuis fuit olim bulla puellis,
 8 cum non sis, bullam cur capis, ingenuus ?
 9 Scortea sume igitur : quadrant mage scortea, prolem
 10 libertinorum sic decorato tuam.

IN QUENDAM.

E_155 v.1 A me quaeris amet num te tua Fulvia. Habeto,
2 si te non odit Fulvia, forsam amat.

AENIGMA IN FILIAM INACHI.

E_156 v.1 Dic, precor, Oedipodes, sit quaenam femina conjux,
2 cui pater est conjux, nec pater ipsius est.
3 Affatur dominum, dominumque affarier usquam
4 vix potis est : audit verba, nec audit herus.

IN GERALDUM GALLUM.

E_157 v.1 Haerebam, Galli cognomen si alitis esset,
2 auspicio an casu, docte Geralde, tuum.
3 Praevidere hominis virtutem fata futuram,
4 hac certo cunctis alite conspicuam.
5 Huic etenim debet, quicquid Romana triumphi
6 Barbarici victo duxit ab hoste manus.
7 Impulit haec Latios fasces, incedere turmas
8 censuit, aut coeptos est remorata gradus.
9 Solaque sidereos volucrum crebro aspicit axes
10 conscia sublimis fit quoque (crede) dei.
11 Non haerendum igitur, quin omnis curia ab acri
12 pendeat ingenio, docte Geralde, tuo.

AD DIVITIAS CONGERENTEM.

E_158 v.1 Est aliquid gremio census gaudere referto,
2 venturam (ut plures) ne patiare famem.

DE VI AMORIS.

E_159 v.1 Omnia vincit Amor, vero nil verius umquam
2 hic cecinit ; superos nam et superavit Amor.
3 Sit mihi Pan testis, testis Tirynthius heros,
4 nam facile hos faculis vicit ephebus Amor.

THO. CADAGNEO MERCATORI OPULENTISS.

E_160 v.1 Auri vesano multi torquentur amore,
2 ut Martem, in vinclis divitiasque colunt.
3 Croesus es, exemplo dignus fortasse supino

4 illius adscribi, quod tibi divitiae.
 5 Sed tibi si nummus projecta vilior alga
 6 atque philargyriam tu fugis ut scopulum,
 7 dives eris : Plutone etiam nummator ipso,
 8 thesauros inopi dinumerando tuos.
 9 Hoc ad opus tot opes si congeris, has tibi quondam
 10 centuplici omnipotens fenore restituet.

IN LONGOLII OBITUM, VIATOR.

E_161 v.1 Ergo foeda, olida ac iners rudisque
 2 ad nos barbaries adhuc redibit ?
 3 Et si saepius Attica Minerva
 4 nixus Longolius bonis lacertis
 5 illam pellere jam protervientem,
 6 absurdo loquier libebit ore ?

IN P. BELLUM.

E_162 v.1 Hippolitus forma, forma quoque bellus Adonis,
 2 attamen his longe bellior ipse nites.
 3 Bellus enim bello es tu corpore, nomine Bellus,
 4 et Bello est oris gratia bella tibi.
 5 Esse sed interius si cures bellus, ut extra es,
 6 cum quid ages, nemo bellius istud aget.

IN PICTURAM SOMNIANTIS HERCULIS.

E_163 v.1 Hic siste, aut tacito lenique incedito gressu,
 2 ceu vigil iratum navita linquit iter.
 3 Amphitryoniadae in somnis congressa voluptas,
 4 donabat Croesi, si voluisset, opes.
 5 Litora spondebat Cypri ditemque Corinthum,
 6 quicquid et in vasto creditur esse salo.
 7 Et quicquid Phariis late splendebat in arvis,
 8 dura sed in maesto pignora fine dabat.
 9 His spretis salibus, fallacis retia mundi
 10 nil fecit, blandae munera vana deae.

DE TRIUM DEARUM FATALIUM OFFICIO.

E_164 v.1 Sustinet ipsa colum Clotho, trahit altera stamen,
 2 perrumpit vitae tertia fila soror.

IN VENTRES.

E_165 v.1 Plura cibo potuque cadunt quam corpora ferro :
 2 id quam sit verum, multa pericla docent.
 3 Nam mage nil laedit sensus animumque remittit
 4 quam variis epulae vinaque sumpta modis.

GUL. MELLAEI POETAE NON INSUAVI.

E_166 v.1 Non ullum mage conveniens cognomen opinor
 2 quam tibi Mellaei posse, Guilelme, dari.
 3 Tanta tibi certe est dulcis facundia linguae,
 4 credam ut apes labiis mellificasse tuis.
 5 Quid quod ab heroo Thymbraeus pectore manat
 6 spiritus, ad Cirrham quo duce carpit iter.
 7 Quod canis argutum est, quicquid modularis, amoenum
 8 mellifluusque tuo labitur ore lepos.
 9 Sermone at patrio rhythmos et carmina dicis
 10 digna cedro seu sint seria sive joci.

MAEROR COMES LAETITIAE.

E_167 v.1 Commoda carpsisti : cur non incommoda carpas ?
 2 Maeror et alternis gaudia sunt comites.

DE OPERE CUJUSDAM DOCTORIS.

E_168 v.1 Quiddam operis doctor stomacho jactavit aperto :
 2 inflavitque rudi guttura rauca sono.
 3 Fulmen verba sonant, crepuisse tonitrua dicas,
 4 verum opere haud toto est mica vel una salis.

IN LIVINUM.

E_169 v.1 Livescis livore, tibi, Livine, palatum
 2 livet et os, vultus linguaque mensque tibi.
 3 Non ab re nomen tibi de livore receptum,
 4 cum studeat livor cuique nocere tuus.
 5 Lividus es, turpis nebulo, blax, erro, frequentas
 6 vina, lupas, ludos, mirus es ardelio.
 7 Non libertatis tibi pilea sumpta, coquorum
 8 est genus, ad patinas cor tibi rite salit.
 9 Filius es terrae, gallinae filius atrae,
 10 ortus es a tete tuque tibi pater es.
 11 Cum sis tam abjectus, quid tu quasi bufo tumescis ?
 12 Unde tibi fastus ? Quo tuus iste furor ?
 13 Stulte, places nimium tibi, qui sic cornua tollas :

14 te metire tuo, dum licet, ergo pede.

DULCIA NON MERUIT QUI NON GUSTAVIT AMARA.

E_170 v.1 Dulcibus indignus, nisi passus amara, vel agris
 2 messor ab incultis fenora nulla refert.

DE CAECO AMORE CAPTO.

E_171 v.1 Caecus erat quondam, caecum qui vidit amorem,
 2 at bene non vidit quem bene vidit Amor.
 3 Nam bene caecus Amor caecum conspexit, amanti
 4 qui caeco caecus lumina caeca tulit.

IN PRAECEPTOREM AMUSUM.

E_172 v.1 Quod tentes pueros Latio sermone beare,
 2 alta nimis tentas : desine summa sequi.
 3 Ista prius libranda tuis est viribus, adsit
 4 si tandem nervis sarcina digna tuis.
 5 Bajulus expendit, humeris si pondera quadrent
 6 quaeque suis, nimium ne grave sumat onus.
 7 Sic tu, ne alter eas temerarius Icarus alis,
 8 ingenii penses vimque modumque tui.
 9 Nempe prius doceas quam te decet esse peritum,
 10 scire prius Latio quidve sit ore loqui.

AD OTIOSUM IN SELLA.

E_173 v.1 Musca tuo in scamno quando vix permanet ulla,
 2 ingeniosus homo es, desidiosus item.
 3 Hoc pacto ad Graecas fies, mihi crede, Calendas,
 4 vel Neomenias doctus ad Ausonias.
 5 Corpore qui languet, mentem languere necesse est :
 6 exteriore nota nota fit interior.

DE QUODAM AMATORE ET EJUS AMASIA NOMINE GALLA.

E_174 v.1 Rem vult cum Galla moribundus Gallus habere,
 2 Gallus amat Gallam, non hic ineptus amor.
 3 Nec male adinventum, si Gallae Gallus agat rem ;
 4 Galla tamen Gallo est rusticitate ferox.
 5 Se totum Gallus Gallae tibi dedicat ; ergo
 6 Galla precor Galli commiseresce tui.
 7 Ipsa parat lumbis Gallus sibi demere testes ;
 8 Galla fave, aut capus, ni medearis, erit.

9 Sic facilis fies, pullis insignis et ovo :
10 gallinae est Gallus vir, Hymenaeae fave.

IN QUEMDAM.

E_175 v.1 Scis cur jam recitent nulli pia gesta poetae ?
2 Hoc pia quod nullus tempore gesta facit.

DE MULIEBRI PETULANTIA, INCONSTANTIA, ET IMPORTUNITATE, AD CRISPUM.

E_176 v.1 Utitur ad divos quali prece flamen in aede,
2 sponsa suum tali saepe precatur herum.
3 Ille inquit : "Concede, deus, da, quaesumus ore
4 assiduo, haec praesta debita redde vices."
5 Nunc varias vestes, nunc rubra corallia, torquem,
6 inclusumque auro nunc adamanta petit.
7 Calcitrat haec palpatque statim sibi, Crispe, repugnans,
8 aut ridet, verso aut pollice cauta gemit.
9 Quin etiam nunc mane procax, nunc vespere poscit
10 munera quae mollis suadet obire Venus.
11 Haec miranda putas ? Varium et mutabile semper
12 atque minus fidum femina nomen : abi.

CONSULIT CUIDAM AMANTI.

E_177 v.1 Quid facies, cum insanus amor te impellit et urget ?
2 Sunt quoque nec tibi sunt pabula amoris, opes ?
3 Quidnam igitur facies ? Non unda hic perditur ignis :
4 si certes, vincet. Quid facies ? Fugies.

IN AVARUM.

E_178 v.1 Non minus accepta est diis immortalibus olla
2 fictilis ac Persae ditia dona Dari.
3 Cur ergo tantos coacervas undique nummos ?
4 Esuriens parcis : quantum es, avare, miser ?
5 Hoc super immensa pernoctas aggere nummum.
6 Heus age cui serves cystin, avare miser ?

IN QUENDAM.

E_179 v.1 Sive dolus nomen seu 'doulos' quadrat utrumque : est
2 quid servile dolus, 'doulos' et ipse dolus.

IN NIGRAM PUELLAM.

E_180 v.1 Cum tibi sit pulcher, nec sis formosa, maritus,
 2 non ancilla tua sit tibi pulchra domo.
 3 Succinum ut ingenita paleas virtute coactas,
 4 sic religata decens pectora virgo trahit.

IN VETULAM QUANDAM, QUANTUM EI FUCUS PROSIT.

E_181 v.1 Quam prodest veteri lomento e pectore rugas
 2 radere, cerussa quam renovare genas ;
 3 quam caperata alvum et frontem medicare senilem,
 4 unguine quam canas tingere saepe comas ;
 5 nam quamvis deformis anus, limenque senectae
 6 exieris, fuco sis nova tota tamen.
 7 Consilio usa meo dum tu pulchre uncta refulges,
 8 turba petulcorum te numerosa premit.

AD GILLONEM.

E_182 v.1 Esse suam credit mulierem Gillo pudicam :
 2 saepius haec, quae absunt, credere Gillo solet.

AD BENED. BUATERIUM DE FRATRIS OBITU CONSOLATORIUM.

E_183 v.1 Cum tuus e vita frater migraverit, et non
 2 e propria tamquam sede, sed hospitio,
 3 nil est quod doleas, sed quod decesserit ante
 4 quodque sibi videas te superesse. Vale.

AD PEDARIUM TACITURNUM.

E_184 v.1 Nulla tibi lingua est, vel muta est haec tua lingua, aut
 2 plura audire tuum, dicere pauca tuum.

IN QUENDAM.

E_185 v.1 Quid Fabii exemplo Gallos pugnare monebas ?
 2 Tentanda haud Poeni sunt modo castra ducis.
 3 Nititur is contra torrentem, invertere vecors
 4 naturae mores qui studet ingenitae.
 5 Posse putas Francam cunctando restitui rem,
 6 erras : plus languet debilitata mora.
 7 Gnarus enim ductor coacervans artibus artes,
 8 auctor militiae, non imitator erit.

AENIGMA.

E_186 v.1 Patre caret, quem nox profert, huic unica mater ;
2 et redit in matrem : datque movetque necem.

DE FORTUNA.

E_187 v.1 Vitrea praecipites fortuna imitata rotatus,
2 assidue celerem volvit iniqua rotam.
3 Erigit hunc, illum duro premit atra flagello,
4 pendula sic dubio dona tenore regit.

AD VIRGINEM PETULCAM.

E_188 v.1 Pone venenatos damnosa Cupidinis arcus,
2 virgo, meum nam tu vulnere vulnus alis.

ANDREAE BRIELLI PRIMI MEDICI FRANC. REGIS, EPITAPHION.

E_189 v.1 Dum medica medicus multis patrocinator arte,
2 labentes retrahens in sua fata viros,
3 nil mea me juvit Phoebaea scientia, Parcae
4 quin vitae scindant stamina cana meae.

DE P. A STELLA JURIS UTRIVSQUE DOCTORE.

E_190 v.1 Lucida civilis temonem Stella carinae
2 et regit, et tanti temperat alta maris.

IN JO. PERATII SUPPRAEFECTI LUGDUNENSIS IMAGINEM.

E_191 v.1 Ohe age, Joannes, audin ? Surdescis ? Oresti
2 responde Pylades : ohe age, fare. Taces ?
3 Fallor ego, statua est. O quantum ars filia matris
4 aemula naturae est : haec facit, haec simulat.

AD PORCOS DE AMISSA QUERCU,
ALLUDENS AD MORTEM CELEBERRIMI DOCTORIS THEOLOGI GUILIELMI à QUERCU.

E_192 v.1 Juppiter, invento Cereali munere, dixit :
2 "Setosos tantum glans (volo) poscat apros."
3 Tunc mensas onerare deum, tunc carnibus escis,
4 tunc poterat dapibus sus onerare virum.
5 Jam macie affecti secum vix crura reponunt,

6 postquam privatos contigit esse epulis.
 7 Nam cicurum omne genus, necnon genus omne ferarum,
 8 setigero invadunt dona tributa gregi.
 9 Ergo ad jus properate citi, jus quaerite, porci,
 10 si modo jus quoque vos nullus habere neget.
 11 At male sors cecidit, nec jam spes ulla fruendi ;
 12 quercum etenim superum corripuere foci.
 13 Quaere alias epulas, non haec tibi convenit esca,
 14 porce : sibi hanc legit curia caelicolum.

DE DIVITE ET PAUPERE.

E_193 v.1 Dicitur esse Mida Cynicus locupletior. Hic nam
 2 contentus casula est, ille nec amne Tago.
 3 Est igitur Crasso major, qui nulla perambit,
 4 inferior Codro, qui sibi plura cupit.

IN QUENDAM IRRISIO.

E_194 v.1 Si dives fueris, nostri reminiscere ; pauper
 2 si fueris, poteris non meminisse mei.

IN AMATOREM NON REDAMATUM.

E_195 v.1 Te amentem si fecit amor, si fecit amantem,
 2 aut amens, aut cur non es amatus amans ?
 3 Certe erat id satius dementem te esse et amatum,
 4 vel cessa spretus, si vel amaris, ama.

IN LIVIDUM QUENDAM MONSTROSE CENSOREM OMNIUM.

E_196 v.1 Livor edax momstrum (dictu mirabile) praegnans
 2 reddiderat, genio percitus usque malo.
 3 Et tandem ut pareret, quod dudum parturiebat,
 4 anguicoma obstetrix de Styge cita venit.
 5 Quid multis opus est ? Tandemne enititur ? Exit
 6 censuris monstrum hoc monstrificum variis.
 7 Et monstrum est pariens : partus monstrum omnia monstrum,
 8 Quid, nisi monstrosum, monstra creare putes ?
 9 Sic partus sequitur ventrem, sic natus alumnum,
 10 hunc similem effeto convenit esse patri.

ROBERTO HURALTO VIRO VITAE INTEGRO SCCELERISQUE PURO.

E_197 v.1 Fuscina debetur Neptuno, fulmine gaudet
 2 Altitonans, hastam bellica Pallas amat.

3 Herculis est robur, Phoebi arcus, Martius ensis,
4 Luna potens jaculis, nectare Bacchus ovat,
5 divitiae Croesum, Pompeium fama venustat :
6 sic tua te virtus et tua corda beat.

CAUPONI VINUM VENDERE NEQUEUNTI.

E_198 v.1 Quaeris, caupo, merum nequeas cur vendere ut optas,
 2 imposita vitis quod tua sudat aqua.

CUIDAM MAGNIFICO PROMISSORI.

E_199 v.1 Quid quod tantisper promissa absolvere differs ?
 2 Mittereque has linguas, quas tua lingua dedit ?
 3 Me elinguem credis nec te pudet esse bilinguem,
 4 dum geminis linguis uteris iisque meis.
 5 Si donata putas quae sunt promisse, beatus
 6 sic quoque pollicitis efficiere meis.
 7 Huic sed promisso fines exire necesse est,
 8 qui promissa dati vim retinere velit.
 9 Des ergo aut speres duplici ratione bilinguis
 10 dici, aut elinguem reddere verba scies.

DE AVARISSIMO QUODAM.

E_200 v.1 Sub terra nuper qui fulvum condidit aurum,
 2 quantum vix cepit divitis arca Midae.
 3 Is semel (ah demens) voluit, suspensus ab alta
 4 fronde oleae, propriae conscius esse necis.
 5 Sed timet ut laqueum tenui mercarier aere,
 6 stramineo fecit fune sibi laqueum.
 7 Eminus hunc messor prospectans ante cucurrit :
 8 mox miserum infausto liberat a laqueo.
 9 Nescius ulli homini benefactum reddere, nedum huic
 10 qui dulcis vitae libera causa fuit,
 11 maeste aegreque ferens, ad praesidis ora timenda
 12 messorem ingratus mane venire jubet,
 13 cogat ut effractum funem persolvere. Numquam
 14 verterit ingenium gratia lata malum.

IN BALBUM CURRUCAM.

E_201 v.1 Non (ut reris) habet tecum rem, Balbe, Guilelmus.
 2 At cum uxore tua rem mage habere putes.

IN QUENDAM.

E_202 v.1 Credideris lenae nummos cum quinque, puellam
 2 arbitrio ut mollem crederet illa tuo.
 3 Quod pauper, quod inops, quod pannis obsita, munus
 4 asseris id propter te subiisse pii.
 5 At poteris fortasse pii bene munus obire,
 6 si quam pollicita est nulla puella datur.
 7 Salva tamen res est : virgo producitur. Istud
 8 objectum si te non movet, esto pius.

DE SERVITUTE AMANTIUM.

E_203 v.1 Liber amans non est nec erit qui colla Dionae
 2 subjiciet. Quid amor ? Carcer, amaror amor.
 3 Non amet, aut studeat veneri indulgere petulcae,
 4 qui voti compos se cupit esse sui.

IN VARUM.

E_204 v.1 Usque viam quod amas obliquam, nil ego miror :
 2 quippe nisi varo non potes ire pede.

IN VICTORIAM CAROLI BORBONII.

E_205 v.1 Eximium tibi spondebat victoria nomen,
 2 Carole, vincendo tu nisi concideres.
 3 Victus ob id potius quam victor es ; hoc, quia victor
 4 occumbis, victori occubuisse pudor.
 5 Nam victor superest qui victis hostibus et qui
 6 his de, consueto more triumphat, is est.
 7 Si vero sola haec victoria creditur in qua
 8 pars victrix pessum, victa superstes eat ;
 9 quisnam cervicis tam durae animique recurvi,
 10 qui te hac victorem non ratione putet ?
 11 Sic erat in votis, ut te victoria vel mors
 12 ornarent : victo mors tibi vota tulit.

DE EODEM, ET EJUS LEMMATE.

E_206 v.1 Mortuus, aut victor, vovisti hoc transfuga : fatum
 2 accidit ac voti mors tibi, Carle, reo.
 3 Voti damnatus poteris jam victor haberi :
 4 quid voti compos votaue reddideris.

DE PONTICULO.

E_207 v.1 Pons modico nutat calcatus pondere ; casum
2 pons rapit : hinc madidis ponsque recurrit aquis.

IN POTULUM ABSTEMIUM, QUI POETA FIERI VOLEBAT.

E_208 v.1 Vis fieri vates nec vis os tingere vino :
2 friget ab epotis, Potule, carmen aquis.
3 Vatis equus vinum est, vatum tutela ; meracos
4 qui latices haurit, vile poema canit.
5 Thymbraeo et musis gratissima vina ; poetam
6 ista juvant, siquid grande sonare parat.

IN CUJUSDAM ANULUM, DERIVATUM E GRAECO.

E_209 v.1 Spem, Nemesimque una prudens sub imagine gestas,
2 ut spem post multam tu nihil inde feras.

SUPPLICATIO AD QUENDAM.

E_210 v.1 Cum sit honesta meae nec magna petitio vocis,
2 nostrarque virtutis verba sequantur iter,
3 annue honestati, modo justa et honesta petuntur :
4 supplicibus votis justus adesse soles.

LUGDUNUM.

E_211 v.1 Urbibus inscribunt domini sua nomina reges :
2 urbi sic Lugdus nomina prima dedit.

IN MATABRUNAM.

E_212 v.1 Arrigis ad pulchros quod Matabruna juvencos,
2 excuso : vitium tu meretricis habes.
3 Nam quamvis sicco dens nullus in ore supersit,
4 et major pubis lingula deciderit,
5 te tamen et spondes magnumque fateris amorem
6 promittisque tui corporis exuvias.
7 Res tua non agitur, nisi praestes munera ; nam in te
8 nil praeter nummos mens juvenilis amat.
9 Nec nocuit fortuna tibi, si lubrica penem
10 hoc pretio, quo tu vendita, dives emas.

DE MORTE PETRI GORRHII MEDICI CELEBERRIMI.

E_213 v.1 Paeonia poterat vitam qui Gorrhius arte
 2 reddere, terrenas deserit ecce domos.
 3 Impia quem non mors perimit, sed saevus Apollo.
 4 Illi nam metuit cedere in arte sua.

DE SYRINGE IN ARUNDINEM VERSA.

E_214 v.1 Basia quae Pani nimis importuna negavit
 2 Arcadico Syrinx, tibia facta fuit.

AD CONSULTISS. VIRUM PRAESIDENTEM BONUM.

E_215 v.1 Rarus olor fuscus, rara est Eoa volucris,
 2 est tibi rara chlamys candida corve niger.
 3 Vir bonus est animal rarum, sanctissima postquam
 4 rara fides mundo et rara hominum probitas.

AMICOS HUIUS TEMPORIS MAGIS OPES ET DAPES, QUAM VIRTUTEM SEQUI.

E_216 v.1 Non est Busiris quod te nil pendat Orestes,
 2 sed tenuem tecum sortem habitare videt.
 3 Nullus amicitiam miseri vult pauperis : aurum,
 4 atque unctas mensae quaeris, amice, dapes.
 5 Fuste agitur pauper circoque explauditur omni
 6 nec juvat esse bono vel sapiente sinu.
 7 Auro honor est vitiisque lepos ; pietate relicta,
 8 atque pudicitia, quilibet ambit opes.

NARCISSI PICTURAE SUBJECTUM.

E_217 v.1 Dum juvat in liquida formam specularier unda,
 2 hei, cave decipiat ne tua te facies.

ANTO. GROLERII JUNIORIS LUGDUNENSIS EPITAPHION.

E_218 v.1 Campanam peregre lustrat dum Antonius oram,
 2 Lautreco obsessa a principe Parthenope.
 3 Seu longum pertaesus iter seu fessus eundo
 4 lassa altus pressit corpora forte sopor.
 5 Pressit, et oppressit sic non sit ut inde citandus :
 6 hunc donec tubicen suscitet aethereus.

AD MUSAS, NE SAPPHO TRIBADEM IN SOROREM ADMITTANT.

E_219 v.1 Aeoliam nemo musarum coetibus addat
2 Sappho, quippe genus masculineum illa tenet.

DE AURELIA VIRGINE FLORES COLLIGENTE.

E_220 v.1 Colligit Hyblaeos dum pulchra Aurelia flores,
2 foedavit niveam sanguine spina manum.
3 "Ah parum erat (tunc inquit Amor) laesisse puellam.
4 Offendisne etiam flos modo saeve deas ?"

AMOR PICTUS.

E_221 v.1 Quid fugitis ? Sum pictus Amor, pennaque facesque
2 sunt, arcus pictus pictaque tela mihi.

IN VILLICUM ZELOTYPUM, QUAM SIT DIFFICILIS UXORUM CUSTODIA.

E_222 v.1 Cum coleret caros uxor segura parentes
2 et choreas juvenis viseret omne genus,
3 digna erat, aethereo quae nata fuisset in ovo,
4 et verum pueri rumperet arbitrium.
5 Nullus ab hac forma vel non percussus abibat,
6 tanta erat in pulchro pectore picta Venus.
7 Janus Parisia veniebat ab urbe cinaedus :
8 verum pro nihilo nil dabat illa sui.
9 Unio munus erat, qualem Cleopatra marito
10 convivae exposuit, villice, dives eras.
11 At postquam taciti motus ratione susurri,
12 dixisti nullam connubio esse fidem,
13 zelotype, uxorem vetulis custodibus urges,
14 candida sub servo ponere crura tuo.
15 Si servum ejicias, bino et sub limine clausam
16 ire vetes suetas atque redire vias.
17 Coniunctis potius moechabitur illa pudendis
18 ancillasque suas esse jubebit heras.
19 Donavere proci quicquid, dabit illa juvenis.
20 Qui modo dives eras, villice, pauper eris.
21 Utile consilium, sed nunc tibi, villice, dicam :
22 non coeat gratis uxor, at ob pretium.
23 Prompta mihi ratio est : expertus, villice, nosces,
24 zelotypus quantum vivat amore miser.

IN PAGANINUM.

E_223 v.1 Pinxisti similem stulto, Paganine, Perottum ;

2 at si animum possis addere, stultus erit.

CUR "CAECUS" AMOR VOCETUR, QUI TAM OCULATUS SIT, EX OCULISQUE NASCATUR.

E_224 v.1 Caecus an ille fuit, caecum qui finxit amorem ?
 2 Caecus Amor non est, lynceus ille nimis.
 3 Nam vigiles sunt illi oculi paetique trucesque
 4 quos collimatos ad scelus omne parat.
 5 His blande illiciiis nunc utitur, hicque tribunal
 6 imperii primum deligit esse sui.
 7 Excubat unus in his, et ab his sua spicula torquet
 8 sive homines tentet, sive ferire deos.
 9 His oculos, pectus male cauti figit amantis ;
 10 mox miser accepto vulnere caecus abit.
 11 Sic, quia forte facit caecos sua castra sequentes,
 12 cassus ob id duplici lumine fertur Amor.

NIOBE IN MARMOR.

E_225 v.1 Innumero Niobe vivebam sanguine felix.
 2 Sum nunc offenso numine facta silex.

SUBJECTUM SPECULO, E SOCRATE.

E_226 v.1 Extra pulcher es, hortor, ut procures
 2 intus pulchrior esse. Turpis extra es,
 3 mentis scrinia fac tuae nitescant.

IN AVAROS, EX DIOSCORIDE, PLATONE ET STATILEO.

E_227 v.1 Is qui invenit opes, laqueum deponit et aurum
 2 cui ablatum est, laqueum quo periit reperit.

IN ASTROLOGUM.

E_228 v.1 Aurea cognoscis stellati sidera caeli,
 2 praescia Cirrhaeae noscis et antra domus.
 3 Noscis et horrendi lumen fatale cometae,
 4 noscis quid jubeat, quid quoque fibra vetet.
 5 Irrita monstriferi noscis phantasmata somni,
 6 noscis quid volucris, quid quoque penna ferat.
 7 Cuncta etsi calles arcanaque noscis Olympi,
 8 ignoras id quod stat tamen ante pedes.

CUIDAM DE PETULANTIA UXORIS SUAE.

E_229 v.1 Nocturnam quod nunc venerem, nunc vultque diurnam
2 uxor, nil mirum : multivola est mulier.

IN PROCRASTINATOREM.

E_230 v.1 Quod te facturum cras dicis, crastina lux est
2 nulli certa satis, sed neque totum hodie.
3 Terra cinisque sumus. Quod vivimus umbra, quod ergo
4 cras tibi promittis, hoc peragas hodie.
5 Nam in cras rem differre nocet : cum tempus abunde est,
6 pressa, vel poterit paenituisse morae.

CONSILIUM AD OPES, ET NOMEN PARANDUM.

E_231 v.1 Vis tibi nomen, opes nanscisci, rana forensis,
2 musicus aut leno sis, opulentus eris.

A QUIBUS VULT ADIRI HOSPITIBUS.

E_232 v.1 Qui nostrum cupis ingredi theatrum,
2 frontem exporrigito sereniorem.
3 Non hic Fabricii manent, Numaeve
4 rugosi, aut rigidum genus Catonum,
5 non sophi, aut lacrimosuli Heracliti,
6 qui, cum quicquid adest joci ac leporum,
7 tristes solliciti, parum reversis
8 horrendo absimiles specu Trophoni,
9 avertunt faciem, exiguntque nodum in
10 scirpo, difficiles et herniosi.
11 Utrum munditiae hic facetiaeque,
12 et coetus hominum disertulorum,
13 qui risu et salibus cachinnulisque
14 mentes exhilarant jubentque edaces
15 curas protinus hinc abire in Aegas.
16 Honesto tamen otio supinas
17 assueti fugere oscitationes.
18 Semper parca placet quibus voluptas,
19 cui numquam licet esse curiosae.
20 Qualis est decus elegantiarum,
21 junior Lapitha acer atque torrens
22 Isei (bone Juppiter) Capellus.
23 Qualis Remonius meus sodalis,
24 et hospes meus, et patronus idem,
25 doctus et celebris cliente multo.
26 Duo Bulliodi, obsequentiores
27 queis vos, o Charites, datis monile,

28 seu quid gratius est amoeniusve,
 29 venustumque magis dicaculumque.
 30 Vos hinc ergo procul proculque abite,
 31 in malam ite crucem, caputque vestrum
 32 diris subjaceat, molestiarum
 33 omnium artifices, alastoresque,
 34 quot sunt, quotquot erunt sequens in aevum,
 35 et quantum est hominum severiorum.
 36 Curis corpora discupedinantur :
 37 curae pectora distrahunt et urunt.
 38 Curis quantum hominum perisse constat ?

IN POETAM GLORIOSULUM.

E_233 v.1 Scripta, inquis, sunt haec ex tempore, siquid in illis
 2 criminis, est vitium temporis aut calami.
 3 Sed tibi major ubi scribendi suppetet usus,
 4 non improvisum musa reponet opus.
 5 Te nihil excuses ; nam sat tua scripta fatentur
 6 doctrinae, quamvis praecoqua, habere parum.

DE AMORE.

E_234 v.1 Uris, Amor ; quis scit ? Quem flamma incendit amoris,
 2 et cui vesano frigore corda rigent.

IN NIGERRIMUM QUENDAM, QUI STIBIO UTEBATUR.

E_235 v.1 Nigrrior es corvo, Mauro quoque nigrrior ipso :
 2 lumina densque tibi nigricat anterior.
 3 Albus at ut fias, qui nigro nigrrior usque es,
 4 Pegaseo tentes quaerere Tibur equo.

'Neogamo' SPADONI.

E_236 v.1 Mentula nulla tibi est, et cras tibi ducitur uxor :
 2 resciat haec, rixas civerit innumeras.
 3 Namque hoc cum careas cujus tu gratia amaris,
 4 quid facies, penem si tibi forte velit ?
 5 Aut te solve jugo, aut alium tibi delige, munus
 6 audacter pro te qui geniale gerat.

DE TEMPORE EX PLATONE.

E_237 v.1 Omnia fert tempus, nomen, naturaque longo
 2 tempore mutantur, forma quoque et Nemesis.

PETRO CUIDAM CLAUDO.

E_238 v.1 Ipsa licet claudio pede te natura creavit,
 2 Petre, tamen recto protulit ingenio.
 3 Exterius claudus, sed Ladas intus ut alter,
 4 recta facis claudus, claudus es in vitium.
 5 Ad natum (qui claudus erat) memoranda Lacaenae
 6 jussa nurus, alta quam bene mente geris.
 7 Illa, profecturo ad bellum, "Fili, inquit, eundum
 8 inter virtutis te meminisse decet.
 9 Hujusce ergo memor, qualem natura nequivit
 10 fingere, jam talem te labor arsque facit.
 11 Nam tibi quae genii bona, laeso corpore, desunt,
 12 ingenua morum sedulitate paras.
 13 Sic rectum claudus sequeris, sic utile suades,
 14 ut praeter rectum nil quoque claudus agas."

DE CANE DORMIENTE DIALOGICON.

E_239 v.1 Rostrum stratus humi cur in tua terga reflectis ?
 2 Portio ne flatus effluat ulla mei.

BONAVENTURAE SAMBARTHOLOMAEO THOMASSINO CONSULI.

E_240 v.1 Marcelli pietas, Catoniana
 2 frons, non improba Reguli fides et
 3 sacra religio Numae Sabini,
 4 et multo ore hominum hactenus probata,
 5 verum tu omnibus his probare major,
 6 virtutis titulo et decore laudum.
 7 Lucem prae te agitas tenebricosam,
 8 et splendore quidem tuo minorem,
 9 seu Phoebus reliquos fugat cometas.

FRANCISCO A BRIGERIA.

E_241 v.1 Scripsisti miranda aliis, mihi credita sero,
 2 iudicii partes caecus obivit Amor.
 3 Aethiopem gypso sic oblinis, ipse pusilla
 4 altior e musca mox elephantus ero.
 5 Sive tamen fallas alios, seu falleris ipse,
 6 utrumque eximii pignus amoris habet.
 7 Arma Menetiadae sua sic vestivit Achilles,
 8 nescius ingrato succubuisse duci.
 9 Quid moror ? Alcaeo pueri verruca poetae,
 10 quae foret ignoto nausea, grata fuit.

11 Par utinam mihi sit scripti facundia, qua tu
 12 ingenio numquam cesseris Ausonio.
 13 Victurus per me, nihil est quod gramina Glauci
 14 exquiras, mediis condita litoribus.

IN QUENDAM.

E_242 v.1 Te quoties viso, quoties tua tecta subintro,
 2 "Hospes Maeonias despice, dicis, opes."
 3 Ardua non opto, ditisve palatia Croesi,
 4 gemmatum Phrygii nec diadema Midae.
 5 Grandia sub magnis discuntur crimina tectis,
 6 exiguis laribus semper amica quies.
 7 Ergo mihi toties venienti dicere cessa :
 8 "Hospes Maeonias sperne libenter opes."

IN MORTEM ROGERII BARMAE PRAESIDIS.

E_243 v.1 Dum sibi superis parem sub isto
 2 Barma climate gloriam pararet,
 3 foris magnificus, domi beatus,
 4 tantum mors hominem diebus hisce
 5 terris abstulit, unde Gallia omnis
 6 sensim vulnere eo stupescit absque
 7 sensu, sed modo sentiens dolebit,
 8 casus impatiens viri probati.

AD COMATULUM.

E_244 v.1 Quid, cirrate puer, bene compto crine superbis ?
 2 Ecce erit, ut cupias non habuisse comam.

DE CLAUDIA AD AMICUM.

E_245 v.1 Claudia te solum, te Claudia diligit (inquis)
 2 ipsa sed ad solos Claudia nata dolos.
 3 Blanda loquens, censum evacuat tibi Claudia, mentem
 4 decipit, exornans posteriora, tuam.
 5 Non illi credas, quae te tam saepe fefellit :
 6 Claudia amat nummos, haec mihi crede, tuos.

LEONARDO CURTIO FILIUM LEONARDUM SEPELIENTI.

E_246 v.1 Spem multam natum hoc tumulo, Leonarde, reponis,
 2 cui de plena annus deerat olympiade.
 3 Quem non, ceu vulgi turba insanissima, luges,

4 hunc quia mortalem te genuisse putas.
 5 Sic et Anaxagoram mors filii audita gravavit,
 6 movit et exstinctus sic Xenophonta puer.

IN AURUM, EX PALLADA.

E_247 v.1 Palpantum pater o aurum, curae atque doloris
 2 filii ; et habere timor te, nec habere dolor.

DE AVARO.

E_248 v.1 Semper avarus eget, medio ceu Tantalus amne,
 2 cui deest tam quod habet quam quod habere cupit.
 3 Auris ab auditis satiatur, lumine visus,
 4 est cumulo infelix semper avarus opum.

DE MATRE ET FILIA MERETRICIBUS.

E_249 v.1 Mater erat meretrix, genitricis nata fit haeres :
 2 utraque nulli non lubrica prostituit.
 3 Sic ventri similis fit partus : nata parentem
 4 insequitur, corvi pessimaeque ova mali.

IN PICTOREM AMORIS, E GRAECO.

E_250 v.1 Ardentem in medio cur pingis flumine amorem ?
 2 In gelida pereat tantus ut ignis aqua.

UNICUIQUE CURAM SUAE CONDICIONIS INESSE.

E_251 v.1 Cuique est artificii sua absoluto
 2 curae condicio, status, facultas,
 3 qui pulsat crotalum manu tenella
 4 et qui barbiton increpat sonoram,
 5 et tractat citharae canora fila,
 6 hic quocumque modo potest, adornat.
 7 Amat militiam sequi machaera
 8 latus cinctus eques ; fretum pererrat
 9 lubens navita pervigil carina.
 10 At qui cultor agri est, ligone, falce,
 11 marris, vomere sarculoque gestit
 12 purgare assiduo labore terram.
 13 Se oblectat figulus rota, pedoque
 14 pastor lanigeras agens bidentes.
 15 Et suggrundia parietesque trulla
 16 illinit latomus, tegit tigillum

17 tector stramine, subula repellit
 18 cerdo pauperiem omnibus lacertis.
 19 Mercator pretiosularum ubique
 20 rerum merce suam beat tabernam.
 21 Sic et qui studio fovetur almo
 22 et qui candidulas capessit artes,
 23 cum Latonigenae et novem sororum,
 24 vel cum Palladis eruditione,
 25 tersos codiculos venustulosque
 26 optat, dulciculis satos rosetis.

JO. BUATERII EPITAPHION.

E_252 v.1 Deliciae Charitum, Glyceres lepor, oris honestas,
 2 ecce, sub hac recubant qua Buaterus humo.
 3 Pax umbrae : ver perpetuum nascatur in urna,
 4 hinc casia et nardus myrrhaque tusque fluant.

DE DUOBUS RIVALIBUS.

E_253 v.1 Pulsavere duo versutae limina moechae,
 2 unus tecta subit, stat bivio alter amans.
 3 Ardet uterque ; tamen paucis sic causa dirempta est :
 4 sit jure is potior tempore qui prior est.

CUPIDO AMORE NYMPHAE CAPTUS.

E_254 v.1 Nympham conspicuae Cupido formae,
 2 corpus quae nitidis lavabat undis,
 3 visam arsit, mage cumque torqueretur,
 4 eumque acrius ureret favilla,
 5 oestro percitus, aestuans furore,
 6 haec maestus ciliis ait reductis :
 7 "Quis heus, quis puerum puer fatigat ?
 8 Invadit, stimulat, ferit ? Facemque hanc
 9 inflammat face ? Dimicare mecum
 10 qui sic audeat ? Alter ne Cupido est ?

NIHIL AVARO IMPRUDENTIUS, EX PALLADA.

E_255 v.1 Haeredi es dives, tibi sed pauperrimus ipsi :
 2 est tibi mens inopis, sunt locupletis opes.

I N QUEMDAM QUI ADULTERANTES MOECHUM ET UXOREM INTERFECERAT.

E_256 v.1 Uxorem moechumque necas uno impete : sedes

2 est veniae, insanus sit licet iste furor.
 3 Cum duo sint prima patrata homicidia fronte,
 4 es noxa exemptus : rex ita jusque volunt.
 5 Cera roganda tamen, cera auro venditur : haec non
 6 non datur ingratis gratia : gratus emas.

FRANCISCO A BRIGERIA POETAE CLARISSIMO.

E_257 v.1 Quod mihi tantum das, quantum haud agnoscimus ipsi,
 2 dum vehit ad summos me tua musa deos,
 3 esse tuum id fateor veniens a divite vena,
 4 qualis ea est, talem me tuus optat amor.
 5 Non renuo studiis dici indulsisse beatis,
 6 miles et Aoniis incubuisse toris.
 7 At vero evasisse ultra et signa ante tulisse
 8 vestrum id : sum ingenii conscius ipse mei.
 9 Est mihi postremum satis absumpsisse, poetas
 10 Bellerophonteos inter, amice, locum.

IN JUVENEM EBRIOSUM ET AMANTEM.

E_258 v.1 Quid flammis oleum, flammis quoque sulphura jungis ?
 2 Nempe intus flammam, quae nimis urat, habes.

DE MULIERE LACAENA PERR.

E_259 v.1 Cum Damatria filium Lacaena
 2 mater militia redire inermem,
 3 parmula, enseque turpiter relictis,
 4 conspexit pavidum atque adhuc trementem,
 5 trajectum gladio palam necavit,
 6 exprobrans patriam et genus necato.
 7 "Indigna his soboles (ait) profundo
 8 te, Damatrion, immolat Barathro."

ALITER PARD.

E_260 v.1 Cum Damatria filium Lacaena
 2 mater pertimidum suoque partu
 3 indignum videt, hunc palam necavit.
 4 "Matris et patriae, inquiens Laconi,
 5 non dignum genere en Stygis profundo
 6 te, Damatrion, immolat Baratro."

DE LUCIAE SUAE CANTU.

E_261 v.1 Dulcis Amyclaeos superat mea Lucia cantus,
 2 vincit Arioniae plectra canora lyrae.
 3 Vincit et Orpheas dulci modulamine fibras,
 4 vincit et altitoni barbiton ore Lini.
 5 Grata quidem, at nautas ut fallit perfida Siren,
 6 sic blanda incautum femina voce virum.

OCCUPATORI PONTICO.

E_262 v.1 Esse tuos quod ais (qui non sunt), Pontice, versus,
 2 condoleo : gratis ferre ego non didici.
 3 Siccine venaris tibi laudem ? Et nomina captas ?
 4 Sic tibi ab alterius parta labore rapis ?
 5 Emeris hos posthac tu, quos ego misero ; si quid
 6 emeris, haud renuo dicere jure tuum.

IN TUMULUM IASONIS MAYNI JURISCONSULTI.

E_263 v.1 Quis jacet hoc hospes tumulo ? Quis ? Summus Iason.
 2 Illene Phryxae vellere dives ovis ?
 3 Clarior hic illo longe est. Quisnam oro ? Maynus
 4 excellens juris gloria Caesarei.
 5 Non fuit hoc quisquam juris consultior alter,
 6 qui extinctum posset reddere jus melius.
 7 Sed tamen hoc summi vetuit mens dia parentis,
 8 Caesaribus cupiens usque favere suis.
 9 Te audiit, o nimium felix, qui jura legentem
 10 damnantemque acri plurima judicio.
 11 Nec tamen infelix tua qui monimenta revolvit
 12 et memori condit lecta, fovetque sinu.
 13 Et quamquam obloqueris plebs invida, solus Iason
 14 hic legum nodos difficiles soluit.
 15 Amborum sic fama omnem vulgata per orbem.
 16 Ille nitens belli laude, sed iste togae.

DE MORTE CLAUDIAE FRANCORUM REGINAE ET CARLOTAE EJUS FILAE.

E_264 v.1 Imperfectus erat (par est hoc credere) nuper
 2 invidit nobis bina quod astra, polus.

IN TUMULUM FLORIMUNDI ROBERTETI ILLIUS MAGNI FRANCIAE COLUMINIS.

E_265 v.1 Maestus quid titulum rogas, viator ?
 2 Robertetia contegit politum
 3 marmor ossa ; tibi hoc adhucne scitum ?
 4 Cujus propositi tenax honesti
 5 pectus, regibus est tribus probatum.

6 Nostin ? Cetera fama te docebit.

IN JO. A SELVA SUPREMAE CURIAE PARISIENSIS PRAESIDIS COMMENDATIONEM.

E_266 v.1 Junior huc, huc quem capularis promovet aetas,
2 ditior huc Croesus, huc volet Irus egens.
3 Ad speculum hoc purum mores effingat honestos,
4 hoc pium et humanum religioque beant.

IN FRANC. ROGERUM PARISIENSEM PROCURATOREM REGIUM.

E_267 v.1 Quamquam Rogerus dives agri, blandulis
2 natis beatus regioque munere
3 insignis, idem mente sordis nescia,
4 tamque abstinenti dextera, bona spe quidem
5 tot saeculis jam plenus. Tamen Rhamnusia
6 supina vindex, torvo et iniquo lumine, ast
7 frustra intuetur et dolos illi struit.
8 Hujus rei vis nosse causam ? Hoc accipe :
9 Franciscus haud ulla tumescit gloria,
10 fastu nec ullo attollitur speratque nil
11 quicquam, nec in hac ipse, qua praefectus est,
12 agit (vel invisita omnibus) provincia,
13 nisi id quod aestimatur et fas et decens.

CLAUDIO A RUPEFORTI CONSANGUINEO, ET JO. PERRELLO, AMICIS ET SODALIBUS,
JAM LABORANS EO MORBO, QUO PERIIT.

E_268 v.1 Vos ego semper apud volo commendatus haberi,
2 fors novus a vobis ne me alienet amor.
3 Ah fallor, fateor socii ; ergo parcite, si quid
4 protulit absurdi dissona lingua rogat.
5 Ferrum etenim numquam ventusque ignisque fretumque
6 ossibus haerentem alsumet amicitiam.
7 Vos me, quo vultis, vobiscum abducite : vobis
8 Claudius et rursum fiat amans ducibus.
9 Qui nihil hoc praeter petit atque impensius orat,
10 ut quorum est vivens, post cineres sit item.
11 Id quare ? Quoniam id debet, quis cogit ad ipsum id ?
12 Doctrinae et morum simplicitas, et amor.

AD PERRELLUM SUUM IN PATRIAM DISCEDENS.

E_269 v.1 Perrelle, hinc abeo patriam visurus, at ipse
2 ne solus maneat, cor tibi linquo meum.

IN EUNDEM.

E_270 v.1 Abs te absum quoties, videor mihi mancus, ocelloque
2 orbatus dextro, parteque cordis inops.

IN JANUM QUENDAM IMPORTUNUM ET PETULANTEM ROGATOREM
PRAETEXTU ADORNATI A SE MATRIMONII.

E_271 v.1 Multa, quibus careo, quaeris, quibus utor, o haec tu,
2 mens neque tantillo ducta pudore tibi ?
3 Omnia cum quaeras mihi quae vix omnia Jane
4 sufficiant, qua tu, dic, ratione facis ?
5 Cum fuerit conjux mihi, Jane, (cavebo sed istud)
6 uxorem, amoto forte pudore, petes.
7 Si importuna tui, si injustaque causa precatus,
8 nonne tam inauditae digna repulsa rei ?
9 Si dare nolo mihi quo usus sit quodque necessum,
10 quodque meum non sit tradere, quodve placet,
11 Quid mihi succenses ? Uxorem ducere me vis :
12 nolo, tibi forsitan, non mihi nupta foret.
13 Desine, Jane, precor, tot me exanimare petitis,
14 quod mihi non satis est, hoc cupis esse tuum.
15 Cunctarum almus amor rerum bene vult sibi primo ;
16 si superest, aliis dehinc bene velle pium.

QUOS AB AEDIBUS ARCET SUIS.

E_272 v.1 Non zoilus, nugo, blatero, Sinon fallax,
2 petulans Menippus aut petulcus Ixion,
3 fores per hasce intranto, et introvisunto.

IN PATRONUM CORRUPTUM.

E_273 v.1 Quod lana involvis collum, te angina molestat.
2 Coepisti (ut duco) munera, quo taceas.

IN QUEMDAM.

E_274 v.1 Cum tibi sit lato me nullus amicioior orbe,
2 dissimilis vitae est cur mea vita tuae ?
3 Tincta superfuso te purpura murice vestit,
4 vix pannosa meum tegmina corpus habet.
5 Pexus Oronteo redolet tibi crinis odore,
6 at meus haud ullo rore capillus olet.
7 Indica demittit pulchros tibi terra lapillos,
8 et vili nobis anulus aere sat est
9 alta tibi solido sunt structa e marmore tecta,

10 pendula sub tremula stat mea vita casa.
 11 Sunt tibi Virgilii, sunt longa poemata Sylli,
 12 sunt tibi Nasonis carmina, nulla mihi.
 13 Te poscit quicquid fert terra aequorque profundum,
 14 sordida sed modicas dat mihi villa dapes.
 15 Vis tibi me lato nullus sit amicior orbe ?
 16 Aut mecum Irus eas, aut ego dives eam.

GRAECO INCERNO AUCTORE.

E_275 v.1 Non te Maeonii liber fefellit
 2 vatis, consilia asserens virorum
 3 suspensa et dubia esse juniorum.

TUMULUS POTORIS ELEGANTISSIMI AQUIS SUBMERSI.

E_276 v.1 Hic dum vita foret, vino se proluit, alter
 2 ceu Bitias, calici mixta nec unda fuit.
 3 Forsitan Inoo cum par natat, aggere multo
 4 fluminis obruitur diluiturque merum.

AENIGMA.

E_277 v.1 Patris ventre latet, matris qui deserit alvum ;
 2 cum duo diversum tempora nomen agunt.

IN QUENDAM.

E_278 v.1 Nos sumus (ut narras) hoc uno stigmatate amici,
 2 in naso amborum quod cicer emineat.
 3 At non corporeae dotes neque naevus amorem
 4 conciliant, morum gratia sed parilis.
 5 Siquid enim ad cumulum virtutis stigmata donant
 6 corporis, hac lege es vel Plato, vel Cicero.
 7 Sis cicere ipse licet, humerisque beatulus amplis ;
 8 attamen id propter nec Plato nec Cicero es.

EPITAPHION LUDOVICAE AUGUSTISS. HEROIDIS,
 FRANCISCI REGIS GALLORUM MATRIS.

E_279 v.1 Quamvis avorum longa series omnium
 2 tibi regio de sanguine atque liberos
 3 Regis genueris et nepotes regulos,
 4 id praeter, interfuncta regis munere,
 5 magnaue felix rerum utrimque copia,
 6 fatis Loysa dia tu ipsa : quid rei

7 malum hoc ? Obedisti tamen furentibus
 8 nec mors iniqua merita tam grande est nefas.
 9 Nunc vero vires usque frangat debiles,
 10 modo illa victuris locum det moribus.

IN EANDEM.

E_280 v.1 Torrente largo fletuum madidis genis,
 2 fortuna fato fratre comitata, ad Jovem
 3 pergit et Olympum replet omnem questibus.
 4 Quodcumque regni hoc genitor in terris erat,
 5 nobis habenas temperare, et dominia
 6 mutare tranferreque dedisti imperia,
 7 ad haec tumultus (nostri ut erat arbitrii)
 8 et suscitare et comprimere, sed placita tua
 9 infringit Allobrix Loysia et tuum
 10 adversus edictum, quod habet audaciae,
 11 Francae rei fastigia viribus suis
 12 rursum atque prorsum temperat. Quid pluribus ?
 13 Sola regitur hac Francus orbis arbitra.
 14 Quare occupati coge convictam imperi
 15 edisserere causas : tuum cur femina
 16 psephisma transgreditur et irritum facit ?
 17 His annuit pater, vocataque Atropo
 18 regni Loysam Franciae columnen tulit.

DE CLAUDIO MACAREO OB OCULOS AB AMORE VULNERATO.

E_281 v.1 Macareo dum fingit Amor configere, acuta
 2 cuspide versutus lumina figit Amor.
 3 Cui ridens Venerilla : "Fit hoc dic unde ? Petendum
 4 cum sit cor, potius conficias oculos.
 5 Aut tua decipiunt te tela, aut lumine captus
 6 assimiles omnes quaeris habere tui."
 7 Clamat Amor : "Ne rere meum umquam fallier arcum ;
 8 etsi sum caecus, mens oculata mihi est.
 9 Te, Venerilla, penes cor illius hospes, abest cui
 10 cor, illud qui me figere posse putes ?"
 11 Propter id hamato percussi lumina telo,
 12 quod corde haec raptio sint in amore duces.

DE LUCIA LAVANTE SE IN FLUMINE, A MOPSO VISA.

E_282 v.1 Pascebat pecudes Mopsus prope flumina. Prodit
 2 Lucia, quae vitreis nuda natabat aquis.
 3 Hanc procul ut vidit, clamat : "Vos, Naiades, amnis
 4 sub quarum et fontes, flumen et omne manu est.
 5 Nunc primum vestro e numero caput extulit undis

6 una, oculis certe visa nec ante meis.
 7 En vobis Mopsus jam vase coagula pleno
 8 porricio lactis leneque fundo merum.
 9 Quod mihi si hanc rursum vos detis forte videndam,
 10 Pane, ego, despecto, numina vestra colam.

PETRO REMONTIO ADVOCATO, ET HOSPITI SUO.

E_283 v.1 Si quis erit priscos inter numerandus amicos,
 2 cana fides quales, tritaque fama canit,
 3 si quis opis lator, si quis vel amoris Achates,
 4 si quis et aeternae fautor amicitiae,
 5 incorrupta fides si cui, vel sanctio cordis,
 6 si quis cui possit pactio jure dari,
 7 si quis cui pectus referem atque arcana recludam,
 8 jam, Petrus si non, sim cinis ipse, mihi est.

IN PETRUM DANESIUM, JACOBUMQUE TUSANUM,
 LECTORES GRAECOS REGIS FRANCISCI PRIMI.

E_284 v.1 Numquid foeda, rudisque Gallicanas
 2 adhuc barbaries reviset oras ?
 3 Non : Franciscus enim Valesianus
 4 Tussani auspicio, Danesique,
 5 lingua supra alios utraque doctum,
 6 illam ubique loci protervientem,
 7 ultra Sauromatas, pigrum vel aequor,
 8 aut in Antipodon abegit orbem :
 9 nec fas amplius utier soloeco est.

LAETAE SODALITATIS SODALIBUS, ET APUD LUTETIAM ANTESIGNANIS,
 PARDIANUS SALUTEM, 1532 QUO ANNO MORTUUS EST MENSE AUG.

E_285 v.1 Nondum luna rubens integro apparuit orbe,
 2 ex quo visa oculis sunt mea rura meis.
 3 Et me jam illorum subeunt fastidia, vestri
 4 mi venit in mentem quando sodalicii,
 5 tot puta amicorum, invito quos pectore liqui,
 6 cum queis, quae restat vita, superstes eat.
 7 O arguta olim vestrae dicteria mensae,
 8 Socratica o lautis cena referta cibis.
 9 Innocuique sales risusque jocique modesti,
 10 simplex libertas, libera simplicitas.
 11 Hora beata, redux qua vos conviva revisam,
 12 cudere et alternos audiam ab arte modos.
 13 Quid si dii faveant votis, nec me invida vexet
 14 Fortuna, infelix, aegraque nona premat,
 15 non oberit Colchis Siren, Titania Circe,

16 nec lotos vobis plus mihi dulcis erit.
 17 Non tot convalles obstabunt totque viarum
 18 flexus, torrentes non tot item rapidi.
 19 Non tot aquae, montes praerupti, non juga anheli
 20 Tararis, at neque mons, Symphoriane, tuus.
 21 Non quoque vicino volvens de vertice silvas,
 22 insueto Ligeris largius amne ruens.
 23 Non etiam, infernus posuit cui nomina, distans
 24 a Novioduno non procul urbe, via.
 25 Denique non largos demittens Juppiter imbres,
 26 aut terram horribili concutiens tonitru,
 27 inter seque acri miscentes bella boatu,
 28 diverso Boreas, et Notus axe furens.
 29 Quin ubi ad Erigonen sol verget, protinus ipse
 30 ad vos admisso quadrupedante ferar.
 31 Ne vestra interea conturbet gaudia livor,
 32 cingite jam foliis tempora baccareis.
 33 Votaque plus vestris currant felicia votis,
 34 et Mathusalemias candida parca colos.
 35 Me vero (posco si non incongrua) numquam
 36 Lethaea a vobis dimoveatis aqua.
 37 Namque mei siqua est et fama et gratia versus,
 38 sperate in chartis nomen habere meis.

IN ARANTEM CUPIDINEM, E GRAECO FERRE ACCEPTUM.

E_286 v.1 Nondum lumina fuderat per orbem
 2 scintillans oculus diei Apollo,
 3 cum demissa humeris face et pharetra et
 4 arcu vulnifico, nepos Diones
 5 jungit eximios jugo juvencos,
 6 nunc urgens stimulo molestiori,
 7 nunc locis reprimens citos reductis,
 8 et semen jaciens solo feraci. At
 9 fessus, suspiciens deinde Olympum,
 10 infit : "Maxime Juppiter referci
 11 Europae arva bovis aratra, vel te
 12 demum ferre bovem, jugumque cogam."

AD AMICUM SUAE IRATUM PUELLAE.

E_287 v.1 Gramina quot tellus, quot habent lata aequora lymphas,
 2 quotque micant alto sidera fixa polo,
 3 quot pelago pisces, bibulis quot corpora arenis,
 4 quotque ferae silvis, quotque vagantur aves.
 5 Tot tibi nonnumquam facilis solacia, totque
 6 callida maerores saepe puella parit.

DE JOVIS AMORE, EX PRIMO EPIGRAM. GRAECORUM.

E_288 v.1 Factus ob Europam, Danaen, Nycteida, Ledam,
2 bos, aurum, Satyrus, Juppiter, albus olor.

OVIS LUPUM LACTANS EX PRIMO EPIGRAM. CRAECORUM.

E_289 v.1 Ipsa meis invita lupum quod nutrio mammis,
2 me pastoris ad hoc inscia cura trahit.
3 Auctus enim per me, tandem lupus irruet in me :
4 vertere naturam nil benefacta queunt.

MEDICI TUMULUS.

E_290 v.1 Arte ego dum medica medicus patrocinator, ut jam
2 fatis invito dite moras statuam,
3 exarmata hujus mihi vis nil profuit, auras
4 quin subito in tenues ars studiumque abeant.

IN LONGOLIUM.

E_291 v.1 Antistes eloquentiae, magni nepos
2 Atlantis, admiratus ut Longolium est
3 artificibus fandi esse priscis nob modo
4 parem, sed et majorem, ait, praestantior
5 ut plurimum discipulus est didascolo.

IN LIBRUM THEODORI GAZAE DE MENSIBUS,
AB JO. PERRELLO E CRAECO LATINUM FACTUM.

E_292 v.1 Lunares populi, curae quibus est vaga Phoebe,
2 signaque Latoi per duodena labor ;
3 Attica Romano germana haec addita Phoebos,
4 noxque micat terris, non minus alma die.

PUERI NOVENNIS EPITAPHION.

E_293 v.1 Purpurea infantis Clotho dum tempora nebat,
2 ah, fusus raptosamine forte cadit.
3 Mox quod deciderat Lachesis dum attollere tentat,
4 Mors ait : "A vobis quae cecidere fero."

IN TUMULUM MARGARIS PHILANDRIAE VIRGINIS ERUDITISS. ET NOBILISSIMAE.

E_294 v.1 Hoc sub marmore quicquid in Philandria

2 olim mortis erat, modo est sepultum.
 3 Possunt cetera nec stylo nec urna
 4 condi. Da latices sacros, viator,
 5 atque tu bona verba dic, sacerdos.

MENDICI SEPULCHRUM DE MORTIS AEQUALITATE, AD P. QERNEUM.

E_295 v.1 Possideas quamvis Licini patrimonia, quondam
 2 non tibi plus terrae quam mihi fata dabunt.
 3 Par mihi decedes, nummo neque ditior uno :
 4 tecum nullaferes, mecum ego nulla tuli.

IN FUREM TIMIDUM AUREUM ENSEM FERENTEM.

E_296 v.1 Et aurum osculor et virum potentem ;
 2 sed Martem fugio ferocientem.

EPITAPHION CLAUDII DUCIS LONGUEVILLAE.

E_297 v.1 Magnanimus juvenis, florenti aetate potensque
 2 Martis in arte, potens omnia, nil potuit.
 3 Profuit huic nec cor nec Mars nec vivida pubes :
 4 cor, Martem, pubem Parca domare quit.
 5 Arma subivit eques, certavit miles in hostem,
 6 victor, si in mortem quid potuisset, erat.

DE LEANDRO ABIDAEIO.

E_298 v.1 Amplexus Sestae dum nat Leander ad Herus,
 2 Phryxaeo infelix mergitur Oceano.
 3 Ah ferus, ah tantos Nereus qui solvit amores,
 4 omni interdici virgine commeruit.
 5 Atroces fluctus numquam quid atrocius ausi,
 6 Nereides saevae, saevus et Hippotades.
 7 Debuerat potius, si quid meruisset amando,
 8 dum redit, insanis obrutus esse vadis.

IN VELLICATOREM.

E_299 v.1 Argus in alterius naevo, sed tubere caecus
 2 in proprio, lamiis Pontice persimilis.
 3 Quas olim solers confinxit opinio vatium
 4 caecutire domi, lumen habere foris.
 5 Neritii errores qui scrutarentur Ulyssis,
 6 non proprios, risit Diogenes Cynicus.
 7 Anterior tibi quid promittat mantica, calles,

8 sed quid posterior, te modo nosse decet.

LAURENTIO ALLYEO.

E_300 v.1 Laurenti flammam nostro vis addere amori,
 2 inque dies fieri semper amabilior ?
 3 Vis mihi subfusca vel amicior esse Napaea ?
 4 Luce nova acceptus vis mihi et esse magis ?
 5 Nos, nostramque domum solito plus more frequenta :
 6 quaere lares nostros, desere, quaeso, tuos.
 7 Hoc tu si facias, fies nive rarior atra,
 8 Phoebaeoque mihi sidere splendidior.

CLAUDIO BELLIEURIO.

E_301 v.1 Praestas dotibus ingeni quod illis,
 2 queis olim celebris fuit Pericles,
 3 et ob quas itidem Atticis Athenis
 4 sese cedere nemini putavit :
 5 id laudo, atque probo, diserte Claudii.
 6 In te singula nec tamen sat uno
 7 admiror homine, et quod omnium unus
 8 omnem rem studio pari procuras,
 9 hic ubi in Rhodanum Sagona fertur.
 10 Nam par nemo tibi, nec (ut loquamur
 11 multorum venia) secundus ulli es.

STEPH. LALEMANI CANCELARII VIROMANDUI EPITAPHION.

E_302 v.1 Si tandem Stephanum saeva exspirare jubebant
 2 Fata, dari superis quod meliora solent :
 3 debuit, ah, saltem longaeva in saecula reniti
 4 ingenium, probitas, gratia, fama, pudor.
 5 Sed nullis Clotho precibus truculenta movetur :
 6 ultima te quando meta vocarit, abi.
 7 Sic cinis et pulvis fit gloria nostra ; vapori
 8 consimilis vita est : surgis, ut inde cadas.

RUSTICI CUJUSDAM SEPULCHRUM SUMPTU MAGNO ERECTUM.

E_303 v.1 Me finxit natura parem quod regibus, ortus
 2 det magale licet, mors facit una fidem.
 3 Nam sub cariceo vitam lare rusticus egi ;
 4 nunc Mausoleo par tegit ossa lapis.
 5 En reges sua sceptrum habeant, sua saepta coloni
 6 procurent : aequo mors pede cuique venit.
 7 Quid plura ? Extremus vitae nos admonet actus,

8 curae, virtutem praeter, habere nihil.

AD LIBELLUM SUUM.

E_304 v.1 I laetis avibus liber, futurum
 2 munus Attalicum meis amicis ;
 3 te quamvis tenuem autumet poeta,
 4 mendicum, lacerum, misellum, ineptum,
 5 gratus esse aliquot potes disertis :
 6 quos colas, studio monemus omni.
 7 Sic vinces pretio igneos pyropos,
 8 et prae te virides nihil smaragdi.
 9 Idque e carceribus repagulisque
 10 postquam te licet egredi, sodalis
 11 docti pumice perpolitum, et ejus
 12 hortatuque favoreque incitatum. At
 13 factus belle liber tuus, ne oberres
 14 inter scomma leve et sales ferundos.
 15 Sunt nasi regione queis in ista
 16 mordaces, rabidi, Timoniani,
 17 et ranae species locutuleiae,
 18 spurci rhinocerotes, atque ronchi.
 19 Varo haud calle abiens tibi cavebis
 20 grunnitum insipidae suis, canumque
 21 clamosos petulantium latratus.
 22 Ergo hoc curriculo ad meos amicos
 23 i nunc, purpureo micans amictu.

AD LIBRUM SUUM.

E_305 v.1 Dulciculi ite foras versus, lepidi ite lepores,
 2 ferre (puto) potis es, belle libelle, diem.
 3 Vade igitur spernens latrantis vulnera turbae :
 4 latranti oblatres fortius, ut taceat.

IN SEBASTIANI GRYPHII SYMBOLUM, AD FORTUNAM.

E_306 v.1 Cui dux est Virtus, nihil huic fortuna mineris :
 2 illa ubi dux, parvi numen habes pretii.
 3 Victrix illa tui est, sequeris victricia signa,
 4 sic longae comitem te decet esse viae.
 5 Quod graphice expendens noster se tollit in altum
 6 Gryphius, et multae dat modo frugis opus ;
 7 id globulus pennis suffultus utrimque lapisque
 8 pensilis, hic quadrus Gryphis ab ungue, notant.

DE PONTIFICE CAELESTI CHRISTO ET TERRENO CLEMENTE VII.

E_307 v.1 Terras Papa regit Clemens, clementior orbem,
 2 at gerit ille vices, solus hic imperium.
 3 Territat ille ducis verbo, sed fulminat hic re :
 4 numine uter vincit ? Terrificus tonitru.
 5 Sedulus ergo vices age, Clemens, totque tumultus
 6 disjice, vel domini tela suprema cave.

ROBERTO BAUDRIO PARISIENSI.

E_308 v.1 Dum mea tam culto laudas heredia versu,
 2 quae non trita dei nomina partis habent,
 3 forsitan a nobis quicquam si tale requiras,
 4 meque putes meritas reddere posse vices,
 5 falleris et toto, ut dicunt, errare videris
 6 tramite, me aequali si petis ire pede.
 7 Quandoquidem nostrum sors est disterma longe,
 8 nam tibi quae mater musa, noverca mihi est
 9 Bellerophonteis ubi summis pocula tantum
 10 sumpsi ego, tu plenis proluis ora vadis.
 11 Ense levis nudo parmaque inglorius alba,
 12 miles pubes adhuc Delphica castra sequor.
 13 Tu vero emeriti perfunctus munere vatis,
 14 deseris, accepta jam rude, militiam.
 15 Quid te ergo excusas et magni stemma poetae ?
 16 A bove pes lasso fortius imprimitur.
 17 At non efficies, tua quin notissima cunctis
 18 Musa sit et titulis sat generosa suis.
 19 Nempe prius Cretes freta nesciet et fera Parthus
 20 spicula, vel nullas Indus habebit opes,
 21 illustri quam tu vatium numerandus in albo,
 22 doctorum cuiquam lampada ferre velis.
 23 Quicquid id est, agetum, Parnasi in vertice montis
 24 postquam somnia tenes atque supremus abis,
 25 nos, humiles vates, ne dedignere, matellam
 26 indignos quamvis exhibuisse tibi.
 27 Ruris cura mei, Nais mea Pardia Nais,
 28 nil sapit urbanum, rustica rura sapit.
 29 Nuda genu, male cincta sinus, incompta capillos,
 30 prae villae studio non studiosa sui.
 31 Sed ne sperne tamen, si dum persolvere grates
 32 rustica non novit, quas bene novit agat.
 33 Has agit, o vates ter maxime, Pardia rura
 34 quod tam victuris sint celebrata modis,
 35 rura patri Rhodano vicina urbique propinqua,
 36 non procul a coitu sese ubi miscet Arar.
 37 Quo si forte venis, lac pressum et rustica dona,
 38 tessellamque feres pauperis hospitii.
 39 Nam mihi nulla potest major se offerre voluptas,

40 hospite quam tali rus decorare meum.

IN QUENDAM AMATOREM.

E_309 v.1 Vexat, ais, febris te fervida ; at instat amoris
2 vis, omni calda febre magis calida.
3 Febrem gignit amor, susceptum febris amorem
4 gignit, uterque tibi partus, et est pariens.

IN QUENDAM DE EJUS AMICA.

E_310 v.1 Clam persona tibi nuper quae corcula sumpsit,
2 Tyndaridi solum nota fuere tuae.
3 Illa ait "Ignosces : gignunt isthaec loca lusus ;
4 quando ludendum est, hora locusque monent.
5 Sed si forte velis furti hujus sumere poenas,
6 en quascumque lubens ipsa supina feram."

ANTO. LAPITHAE.

E_311 v.1 Hippodamen ducens Ixione natus, omisso
2 Marte, sacrum divis omnibus exhibuit.
3 Indignatus ob id, Baccho simulante, Gradivus
4 nubigenas movit protinus in Lapithas.
5 Et nisi quamprimum Lapithis favisset Apollo,
6 servarent natae nomina quod Lapithae ;
7 quodque ab avum semper foret illi cura tuorum,
8 jam nulla exstaret gentis imago tuae.
9 Nam primos ducis Lapitharum ab origine tractus,
10 et Centaurorum reliquiae es Lapitha.
11 Unde errore gravi lapsus qui prodidit olim
12 semina majorum cuncta perisse tuum.

DE MORTE AMICI.

E_312 v.1 Excrucior luctu assiduo, summoque dolore
2 opprimor, et noctu conqueror, atque diu.
3 Hunc fatis quod perdiderim adversantibus, isthoc
4 tempore, quo licuit dexteritate frui.
5 Qui mihi gratus erat, cujus solamine curas
6 lenibam, cujus sat mihi notus amor.
7 Is mea nam propriis plerumque negotia solers
8 praeposuit, verae cultor amicitiae.

LAETAE SOCIETATIS CONVICTORIBUS.

E_313 v.1 Laeta, et plena salis si cui convivia sordent
 2 vestra, bibat strychnum, naviget Anticyram.
 3 Convivas tristi licet haud accumbere vultu,
 4 nam satis efficiunt vos fora sollicitos.
 5 Non Heraclitum semper gessisse necesse est,
 6 Democritum semper nec simulasse juvat.
 7 Cuique loco quae convenient, qui tempora novit,
 8 scit : semper sapere est quid, nisi desipere ?

PETRO SENIERO.

E_314 v.1 Oblita non fuco simulataque gloria, pennis
 2 auratis volitans te, Seniere, vocat.
 3 Teque suum clamat patronum, te rata solum
 4 partes condignum qui tueare suas.
 5 Quin famae hortatrix mentemque animumque perurit
 6 sola tuum, studiis debita sola tuis.
 7 Ora tibi suadet magis Attide grata movere,
 8 conatur quamvis obstruere illa timor.
 9 Obstet iners licet usque timor, se tollit in altum
 10 illa tamen victrix, victus at iste cadit.
 11 Haec tibi virtutis stimulus, fax mentis honestae.
 12 Qui petit hanc, magnum, mi Petre, tentat opus.

CUR MORA NIGRA.

E_315 v.1 Pyramus et Thisbe, quae candida mora fuerunt,
 2 esse coegerunt sanguine nigra suo.
 3 Haec quia suxerunt antiqui virus amoris,
 4 dulcia sunt : blandum nempe venenum amor est.
 5 Praesertim cum sint caelesti rosida nimbo,
 6 manequae virginea sint ea lecta manu.

QUANTUM NASONI CEDERE SE FATEATUR.

E_316 v.1 Nasonis quicumque meas putat esse Camenis
 2 non novit quantus Naso poeta fuit.
 3 Ille rosas spinis, spinas quoque floribus aequat,
 4 et violas credit caulibus esse pares.
 5 Ut nigrum caecus numquam discernit ab albo,
 6 Nasonis versus sic facit ille meos.
 7 Fallitur, haud aliter quam qui vaccinia credens
 8 alba legit, vel qui nigra ligustra putat.

AMICO.

E_317 v.1 Das mihi magna potens, pro magnis parva rependo
 2 parva potens : satis est commodo, si inspicias.
 3 Nam spernenda penu non sint venientia ab arta
 4 munera : nil monstri dona pusilla gerunt.
 5 Vellem ego si possem (nimium sed tarda voluntas)
 6 larga et grata tibi reddere, parque pari.

DE PARVIS NON CONTEMNENDIS AD STEPH. FAYE.

E_318 v.1 Praepollent magnis humiles saepe : alta gigantis
 2 moles Pygmaeo robore saepe cadit.
 3 Sic adamas, hyacinthus, item sapphirus, et Inda
 4 margaritis, et brevius nil quibus invenias,
 5 ut cunctis pretiosa placent, his adde pyropum :
 6 quo magis exile est, splendidiusque nihil.
 7 Multus inest lepor exiguis et gratia multa :
 8 unguina conservat cara minutus onyx.
 9 Ingenti non mole igitur, virtute sed ipsa
 10 metiri fere res quasque licere puto.
 11 Nam neque procerus quantum, neque quaerito quantus
 12 quisque sit, at qualis, quamve peritus eat.
 13 Testis adest Tydeus, cui parvo in corpore pugnax
 14 ingenium, fortes enituere tori.
 15 Mirando brevior conjuncta statura vigori
 16 Xantippum ornavit Neritiumque ducem.
 17 Te quoque ad has partes quis non traducat et albo huic
 18 inscribat, summo constituatque loco ?
 19 Cui latos quamvis natura negaverit artus,
 20 non vis ulla tamen desuit ingenii,
 21 non grave consilium, sermo versatilis et mens
 22 enthea, sub cujus lexque canonque manu est.
 23 Sic tenues valida firmans virtute lacertos,
 24 niteris exiguum nobilitare gregem.
 25 Atque ut Nestoreis exstes vivacior annis,
 26 vive, tibi donec fata suprema parem.

HUGONI A PUTEO SINGULARI PATRONO.

E_319 v.1 Perpetuas ut aquas et vivo e fonte fluentes,
 2 multa hominum puteus commoditate vomit,
 3 sic tu, qui a puteo titulos et nomina sumis,
 4 e vivo assiduas pectore promiss aquas.
 5 Promiss aquas, praxis tibi quas cum lege ministrat,
 6 quasque sibi modico comparet asse cliens.
 7 Fontanas ad aquas non tam cito dama recurrit,
 8 cum magno hanc aestu vexat anhela sitis,
 9 quam puteum sitibundus adit, sub iudice cui lis

10 vertitur, extemplo quas cupit haurit aquas.
 11 Tunc promis puteum te, accito forte cliente
 12 ad puteal, praestans cum puteo puteal.

IN FRONTE CAUPONAE EXHORTATIO AD VIATORES.

E_320 v.1 Hac qui pertransis, taedet nisi, comprime gressum,
 2 et nostris hospes sedibus ingrediere.
 3 Hic bonus est hospes, miti cum conjuge, vinum
 4 suave, tener panis, quemque siligo dedit.
 5 Insuper irritamentum languentis, et acres
 6 gutturis urticae, quas coquus arte parat.
 7 Post tibi, cum fueris vinoque ciboque refertus,
 8 et lasse, et saturo molle cubile datur.
 9 Non ancilla deest, quae gaudeat oribus ora
 10 junxisse, et femori conseruisse femur.
 11 Quid vis ulterius ? Siquidem quaecumque beato
 12 hospitio quadrant, intus adesse putes.

IN ADULTERAM, QUAE RELICTO MARITO MILITI CUIDAM ADHAESERAT.

E_321 v.1 Militis amplexus, deserto moecha marito,
 2 mirum est quod sequeris, si timet arma Venus.
 3 Ipsa, inquis, placuit quondam Cytherea Gradivo :
 4 verum ais, at poenas conjugii uterque dedit.

IN QUENDAM OB NON SERVATUM PACTUM.

E_322 v.1 Auxisti mihi spem pacto nos inter inito,
 2 at modo cur pacto desinit esse fides ?
 3 Pacta jubet praetor servari, justa ita quod sint
 4 haec, ut praestari ac debita jure velit.
 5 His parent hostes, tanto haec venerantur honore,
 6 esse ut grande nefas haec violasse putent.
 7 Hinc est, quod pacis capiant an nomine nomen,
 8 haec quia firmari non nisi pace queant.
 9 Ergo mihi cum sit tecum pax, prodiit unde
 10 conventa inter nos pactio digna fide,
 11 quid causae est, dicas, a pacto quod procul absis ?
 12 Et spe nos vana perfidus usque cibes ?
 13 Ingenuae poteras non assentire, priusquam
 14 contraheres, nec te subdere pollicitis.
 15 Si tamen enitar contendere, stare licebit
 16 te pactis : id enim civica jura canunt.
 17 In te ex convento nobis datur actio, qua si
 18 te contra experiar, mox peragere reus.
 19 At quia me pacis studium trahit, utar ego in te
 20 irati nulla condicione fori.

CUIDAM AMANTI.

E_323 v.1 Quod te castra sequi tenera cum matre Cupido
 2 suadet, militiae juraque ferre suae.
 3 Res est dura pati, verum cum gloria in hoc est,
 4 et levior suetis assolet esse labor,
 5 te perferre decet : qui perfert, vincit in armis.
 6 Nam sine honore fuga est, opprobriique comes.
 7 Sperando perfer : sperat qui spirat : amantis
 8 est sperare, deis fidere, vota dare.
 9 Spera igitur spirans : non est spes ulla sepultis.
 10 Fide deis : venient ad tua vota dei.
 11 Numquam spes hominum dulces Amor ipsa relinquit,
 12 at sperare suos cras meliora monet.

IN INVIDUM.

E_324 v.1 Rode meas musas, opicos imitabere mures :
 2 haud flocci haec facio, si modo bile crepes.
 3 Bile crepans pereas, tandem pereundo crepabis
 4 bile crepans : miserum est bile crepando mori.

SENATORIBUS CURIAE PARLAMENTEAE PARISIIS.

E_325 v.1 Vix sophiam edoctis septem laudantur Athenae,
 2 truncaque, ut in reliquis artibus, arbor erunt.
 3 At vero ingenium, gravitas, industria, sermo,
 4 iudicium, vestris emicuere choris.

DE AMICA CUJUSDAM, VERSUM EX CANTIONE GALLICA.

E_326 v.1 Si mores, si forma tuae non nota puellae,
 2 illi grande caput, nigra, brevisque coma est.
 3 Flaccescunt aures, frons est huic inde molesta,
 4 tristia multifidus tempora sulcus arat.
 5 Palpebrae livent, acies vivo emicat igne,
 6 lumina cum nigro nigra supercilio.
 7 Simus et huic nasus, longam de nare mephitim
 8 exhalat, largo fonte fluit polypus.
 9 Bucca ut porta patet, lato os discrimine fissum est,
 10 in totoque sedet plumbeus ore color.
 11 Quam bene conveniunt longo labra turgida mento ?
 12 Quam bene guttur hians, pallidulaeque genae ?
 13 Oblongum huic collum, grue collum extensius ipsa,
 14 postico insignis pectore gibbus inest.
 15 Huic testudineique humeri, mammaeque caducae,

16 rugosus venter, saxificumque latus,
 17 turpe femur, foedaeque nates, femur inter opacum
 18 nescio quod vasto gutture vulnus hiat,
 19 quod vel forte viros aspectu terreat ipso,
 20 os cui muscosum, spumificum, intus olens.
 21 Parte alia gracili coxae macra tibia adhaeret,
 22 pes latus, talos lenta podagra tenet.
 23 Huic scabies digitos, huic foedat psora cerebrum,
 24 haec fert multipedi membra voranda gregi.
 25 Quid tum ? Plena cibo semper, jacet ebria semper,
 26 semper olet vinum, fercula semper olet.
 27 Non striat arte comas, neglecti hinc inde capilli
 28 sunt mihi Gorgoneae conscia digna deae.
 29 Aut raro, aut numquam ridet, nisi viderit ante
 30 mensam auctam vino, dapsilibusque cibis.
 31 Indomitum potat, longam post pocula orexim
 32 expungit, medio mingit et illa toro.
 33 Nunc ructat grave olens, nunc spurco podice pedit.
 34 Nonne ergo dominae gratia multa tuae ?
 35 Quis non tam gratae caperetur amore puellae ?
 36 Talis amica tibi sit data, quisquis amas.

IN COMMENDATIONEM ADVOCATORUM SENATUS PARISIENSIS.

E_327 v.1 Inclyta jam sileant trabeati rostra Quirini,
 2 Trojanus oratorum equus.
 3 Quin pagus Martis de nomine dictus Athenis
 4 sese amplius nec efferat.
 5 Quaeque Lutetiacum spectent hinc inde Senatum :
 6 herbam repente porrigent.
 7 Nam quales nobis leges liquere disertis
 8 juris peritum exercitus,
 9 aut verba Arpinas Romanis qualia circis
 10 fudit Minerva non rudi :
 11 talia sunt amplis circumsona dicta theatris,
 12 quae Parisium dat forum.
 13 Non ita fulminea dicebat voce Pericles,
 14 ardens Capellus ut facit.
 15 Non tam sincero verborum Cotta rotatu,
 16 meus quam agit Remonius.
 17 Non Crassi gravitas urbano mixta lepori
 18 accepta tam quondam exstitit,
 19 quam solidum ingenium Monthalonii osque Poetti
 20 et Quadrigari dignitas.
 21 Denique si Tulli cor quaeras, scita Lycurgi,
 22 Demosthenisque copiam.
 23 Huc propera : nusquam melius tua vota patebunt,
 24 quam in hoc theatro celebri.

ROSSELLETTAE FAMILIAE INSIGNIA.

E_328 v.1 Si tibi transversum laqueare insignia pandunt,
 2 si picta e latere est quercus utroque duplex
 3 semileoque duplex foliis si quinque supersit,
 4 dic Rosellettæ stemmata prisca domus.

JO. SABELLATO, QUOD VERAM RELIGIONEM COLAT.

E_329 v.1 Fulgeat insigni tua quod probitate juventa,
 2 regula scrutandi quod tibi nota tui,
 3 quod testamenti duplicis tibi lectio grata est,
 4 quod Christum pura religione colas,
 5 aetatis laus praecipua haec, mihi crede, Sabinos
 6 latriæ veteres qua praeis officio.
 7 Cultus enim illorum cum nil pietatis haberet,
 8 hocque etiam fierent fana profana deum,
 9 divina eloquia amplectens ritusque verendos
 10 majorum, prudens numina vana putas.
 11 Et mage ab antiquis aliena haec mystica sacris
 12 fixo animo observas, et reverenter adis.
 13 Mos te inducit ad hoc priscus tuae originis ; olim
 14 est habita Ausonii quae studiosa sacri.
 15 Cui vel ob id nomen (recte si lecta recordor)
 16 effecit cultus religioque deum.
 17 Nam tu gente refers ex hac nomenque genusque,
 18 e longoque tuos semine ducis avos.
 19 Sancto igitur fretus tu dogmate, prole Sabina
 20 nobilis, eximia religione pius,
 21 ipse abavos atavosque omnes modo perge senectam
 22 (ut facis) in Pyliam condecorare tuos.

DE FAMULO MAURO.

E_330 v.1 Cum mihi sis famulus, famulum vocitare nec ausim
 2 te, forsan dominus quod cupis esse meus.
 3 Sis ergo dominus (quia vis) et sim tibi servus :
 4 nomine sis dominus, nomine servus ero.

IN QUENDAM PAUPERRIMUM.

E_331 v.1 Pauper es (ut narras) nec habes quod perdere possis,
 2 ferveat unda, tonet Juppiter, arma micent,
 3 concremet immanis vicinos flamma penates :
 4 Carole nulla tibi est, quam tueare, domus.
 5 Fata tibi voveat stricto fur impius ense :
 6 nulla illi, nisi tu forte rapina fores.
 7 Paupertas tibi fida comes, te liberat armis,

8 hostibus, invidia, furibus, igne, mari.
 9 Sed tibi quod perdas superest ; tibi nam superest quae
 10 surripiat tibi te, femina amata nimis.
 11 Cum qua nec gemmam perdas, nec vellera Seris,
 12 nec quas aurifluus suggerit Hebrus opes.
 13 Et cum nec tibi sit vellus, nec gemma, nec aurum,
 14 paupertatis erit multa rapina tuae.
 15 Plurima perdideris, rapiet tibi femina mentem,
 16 mentem, quae pars est, Carole, magna tui.
 17 Auferet haec quod non mare, fur, incendia possint,
 18 et quo sis Croeso ditior atque Mida.
 19 Serva ergo tibi te, nec scorto, Carole, mentem
 20 credideris, si quid, Carole, mentis habes.

EPITAPHION SUMMI NAVARCHAE FRANC.

E_332 v.1 Francisco arrisit mediis Neptunus in undis,
 2 Francisco in terris Mars dedit arma suo.
 3 Nunc majora quidem Franciscus cum Jove tractat,
 4 qui terra atque mari floruit, astra tenet.
